



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

Liber CLXXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
CONTINUATÆ
LIBER CLXXII.

PIUS V. PONTIFEX MAXIMUS
postea GREGORIUS XIII.
MAXIMILIANUS II. OCCID. IMP.

§. I.

Motus in Hibernia ob Catholicam religionem ibidem restaurandam.

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

*Thu. l. 46.
p. 620. edit.
Gen. 1620.
tom. 2.*

Cum interea Protestantes immodice suam hæresin ampliandi desiderio flagrarent, nil intentatum, inausumque relinquebant, ut in Hibernia sui nomen, auctoritatemque conciliarent, quinimo sectæ suæ progressus hucusque ibidem stabiliti sua expectatione quadammodo majores erant: jam enim pretiosissimam hujus regni partem suo veneno infecerant: ast eodem tempore Edmundus Botelerus Ormondiaë Comitis Frater illorum auctoritatem labefactare, iisque, si posset, extirpatis Religionem Catholicam penitus ferme eliminatam revocare nitebatur, cujus pia molimina

Pontificis auctoritas, ac Hispaniæ Regis potentia adjuvabant, unde auxiliis, quæ ipsi idem Rex ex Belgio submittere promiserat, fretus ad ampliorem se animum erigebat, cunctaque ardentis sui zeli conatibus feliciter adspiratura confidebat: Deo tamen ita permittente fervori ejus prosper non allusit successus; quamvis enim cum Jacobo Frederico Morrifio, necnon cum alio ejusdem nominis Edmundo Imokiliæ Præfecto armorum societatem iniisset, junctisque cum eis viribus Kilkeniam obfisione cingeret, eruptione tamen a præfidiariis facta, inde repulsus est: ubi cum eius frater ab Angliæ Regina ad eundem Botelerum missus illi suggereret, ut se Regiæ arbitrio, ac clementiæ submitteret, is nimia credendi facilitate deceptus unacum ceteris fratribus suis hujus seditionis conscis sese dedit: porro Elisabetha Regina cum suæ bonitatis, ac moderationis specimina ostentandi occasiones sedulo aucuparetur, atque aliunde hunc Comitem plurimi haberet, hinc indignationem suam dissimulare satagebat: qua etiam agendi ratione residui seditionis tumultus fuere dissipati.

Interea saltem specietenus in Scotia, ut Maria regni folio redderetur, agitabantur consilia; una enim ex parte

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

te Angliæ Regina eo suos destinabat Oratores, qui tamen non nisi ignava manu rem urgebant, altera vero ex parte Maria illuc mittebat Jacobum Hamiltonium illustrissimæ Scotorum familiæ Caput, ut supra meminimus: at hic minora, ac spes de eo erat, obsequia Reginæ Mariæ præstitit: cum autem illa Angliam gravibus inter Regni Proceres diffidiis scissam cerneret, ex illis quosdam ad sua studia pertrahere satagebat, ut occurrente necessitatis eventu illorum opera contra Elisabetham uti posset: præcipue vero sibi conciliabat Norfolciæ Ducem, facta eidem futuri connubii spe: cum autem hic diffimulandi artem ferme ignoraret, hac sponcione excæcatus sine ullis ambagibus Mariam sibi desponsandi facultatem ab Elisabetha petebat, atque ab ea demum jamjam hanc veniam se obtinuisse, Mariæ significabat: verum hanc ipsam minus consultam agendi rationem Norfolcius non modo libertatis, sed etiam vitæ suæ dispendio luere cogebatur, quippe Elisabetha exinde conpirationem rebus suis funestam conflare verita, Ducem in vincula conjici, ac paulo post capite plecti, imo eodem etiam momento Mariam Scotiæ Reginam includi, ac vigili satellitum oculo custodiri iussit. Sub idem ferme tempus Murræus Comes

mes sclopeti ictu per quemdam Hamil-
toniæ familiæ Virum trucidatus est, cu-
jus iniqua nece plures in Anglia concit-
atæ fuerunt conspirationes, quæ non
parum Elisabetham Reginam exagita-
bant.

Sæcul. XVI.
A. C. 1570.

§. II.

*Sententia excommunicationis in Elisa-
betham a Pio V. pronuntiata.*

Tanta scelerum immanitate summus
Pontifex Romæ exacerbatus omnes
auctoritatis suæ vires contra Elisabe-
tham exerebat; cum enim hucusque
nonnisi aliorum ope usus illam ad sanio-
ra consilia reducere tentasset, tandem
publice illam bonis suis proscripsit, ac
Constitutione die vigesima quinta Fe-
bruarii edita anathemate eam perculit,
porro in hac Bulla Sanctus hic Pontifex
rem ita exposuit: „Introducta est hæ-
„resis in Angliæ regnum adnitente inter
„ceteros flagitiorum serva Elisabeth
„prætensa Angliæ Regina, ad quam
„veluti ad asylum omnium infestissimi
„perflugium invenerunt. Hæc eadem
„regno occupato, supremi Ecclesiæ ca-
„pitis locum, in omni Anglia, ejusque
„præcipuam auctoritatem, atque juris-
„dictionem monstruose sibi usurpans, re-
„gnum ipsum jam tum ad fidem Catho-
„licam, & bonam frugem reductum

Thuan. l. 46.
Spond. hoc
ann. n. 3.
Bullar. tom.
12. Pii V.
Constit. 101.

rua-

Sæcul. XVI.

A.C. 1570.

„rursus in miserum exitum revocavit
 „Ufu namque veræ Religionis, quam
 „ab illius desertore Henrico octavo olim
 „eversam, claræ memoriæ Maria Regi-
 „na legitima, hujus Sedis præsidio re-
 „paraverat, potenti manu inhibito, seque-
 „batur, & amplectebatur hæreticorum
 „errores, regiumque consilium ex An-
 „glica Nobilitate confectum direxit,
 „illudque obscuris hominibus hæreticis
 „complevit, Catholicæ fidei cultores
 „oppressit, improbos Concionatores, at-
 „que impietatum administratos reposuit,
 „Missæ Sacrificium, preces, jejunia,
 „ciborum delectum, cœlibatum, ritus-
 „que Catholicos abolevit: libros man-
 „ifestam hæresim continentes, toto reg-
 „no proponi, impia mysteria, & inli-
 „tuta ad Calvinii præscriptum a se sus-
 „cepta, & observata, etiam a suoditis
 „servari mandavit: Episcopos, Eccle-
 „siarum Rectores, & alios Sacerdotes
 „Catholicos, suis Ecclesiis, & benefi-
 „ciis ejicere, ac de illis, & de aliis re-
 „bus Ecclesiasticis in hæreticos homines
 „disponere, deque Ecclesiæ causis de-
 „cernere ausa, Prælati, Clero, & po-
 „pulo, ne Romanam Ecclesiam agnos-
 „cerent, neque ejus præceptis, Sanctioni-
 „busque Canonicis obtemperarent, in-
 „terdixit: plerosque in nefarias leges
 „suas venire, & Romani Pontificis au-
 „ctori-

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

„ctoritatem, atque obedientiam abju-
 „rare, seque solam in temporalibus, &
 „spiritualibus Dominam agnoscere ju-
 „rejurando coegit, pœnas, ac supplicia
 „in eos, qui dicto non essent audientes,
 „imposuit, easdemque ab iis, qui in
 „unitate fidei, & prædicta obedientia
 „perseverarunt, exegit: Catholicos An-
 „tistites, & Ecclesiarum Rectores in
 „vincula coniecit, ubi multi diuturno
 „lanquore, & tristitia confecti, extre-
 „mum vitæ diem misere finierunt.
 „Quæ omnia, cum apud omnes natio-
 „nes perspicua, & notoria sint, & gra-
 „vissimo quamplurimorum testimonio
 „ita comprobata, ut nullus omnino lo-
 „cus excusationis, defensionis, aut ter-
 „giverfationis relinquatur.,,

„Quapropter declaramus, prædi-
 „ctam Elisabetham hæreticam, & hæ-
 „reticorum fautricem, eique adhæren-
 „tes in prædicti anathematis sententiam
 „incurrisse, esseque a Christi corporis
 „unitate præcisos: quin etiam ipsam
 „prætense regni prædicti jure, necnon
 „omni, & quocumque Dominio, digni-
 „tate, privilegioque privatam. Et item
 „Proceres, subditos, & populos dicti
 „regni, ac ceteros omnes, qui illi quo-
 „modocumque juraverunt, a juramen-
 „to hujusmodi, ac omni prorsus domi-
 „nii, fidelitatis, & obsequii debito, per-
 „petuo

Hist. Eccles. Tom. XLVIII.

Sæcul. XVI. „petuo absolutos, prout nos illos præ-
A.C. 1570. „sentium auctoritate absolvimus, & præ-
 „vamus eandem Elisabeth prætem-
 „jure regni, aliisque omnibus supra-
 „ctis, præcipimusque, & interdici-
 „universis, & singulis Proceribus, sub-
 „ditis populis, & aliis prædictis, ne
 „illi, ejusve monitis, mandatis, & li-
 „gibus audeant obedire.

§. III.

*Hæc Bulla Londini ad Episcopatus
 Palatii valvas affixa.*

Sander. lib. **H**æc anathematis sententia Romæ ty-
de visib. Mo- pis edita ineunte Mense Augusto ad
narch. l. 7. vesperam Londini ad ipsius Londine-
ad finem sis Episcopi fores a Joanne Feltono af-
Spond. ad figebatur, ubi hæc literæ usque ad octa-
hunc ann. vam alterius diei horam matutinam
n. 4. omnibus expositæ persisterant, quin vel
Thuan. l. 46. ulla in præfatum Virum suspicio caderet,
 quod ipse operam suam in summi Pon-
 tificis obsequium locare voluerit: equi-
 dem ex ejus amicis quidam rei confectus
 eidem suaserat, ut fuga securitati suæ
 confuleret: ast Feltonus respondit, quod
 pro causa adeo pia mortem obire mi-
 nime recusaret: ubi postea ex levi con-
 jectura captus ad quæstionem ducebatur,
 ut ex eo comperiri posset, quis-
 nam Pontificis diploma affixisset. Ad
 hæc ille intrepide reposuit, „lubenter
 „vos

„vos a vestra sollicitudine, ac dubio exi- Sæcul. XVI.
 „mere volo, nam libere confiteor, quod A. C. 1570.
 „ipsum ego has literas affixerim.„ Per-
 cepta hac confessione mox ad mortem
 condemnatur, & die octava Augusti ad
 supplicii locum deducebatur, atque suam
 culpam detestari, & Reginae veniam
 exorare admonitus agebat, quod illam
 nullo pacto offendisset: quapropter dex-
 tera ejus amputata in loco consueto
 de scala laqueo dejectus ventre aperto,
 erutisque visceribus, ac corde effosso
 demum capite truncatus est, atque ejus
 corpus in quatuor partes discerptum
 omnium spectaculo in variis locis ex-
 ponebatur.

§. IV.

*Elisabethæ Reginae mandata contra
 Catholicos.*

Tam inhumana hujus supplicii crude-
 litas magis adhuc, quam antea po-
 puli indignationem accendebat; passim
 enim omnes Regiam damnabant, eo-
 quod plures mortis pœna duntaxat eo
 ex capite affici jussisset, quod anathe-
 ma juste a Pontifice pronuntiatum di-
 cerent: quinimo hæc Reginae sævitia
 ipsis etiam Protestantibus displicuit,
 nam inter illos reperiebantur non pauci,
 qui, si non ipsi Reginae, saltem ejus
 Ministris graviter indignabantur, atque

*Leti vita
 Elisabeth.
 t. I. p. 463.*

Sæcul. XVI.

A.C. 1570.

hi populum ad seditionem concitabant. Equidem Elifabetha hanc Pontificis sententiam antea explodebat, cum autem multos Proceres ob Bullæ reverentiam ab obedientia ei debita secedere, atque in remotioribus Provinciis inter Catholicos sensim populares motus excitaret, remedium opponere suarum partium esse rata ad tubæ sonitum hæc mandata promulgari jussit. I. Nullus indicta mortis pœna Reginam, vel verbis, vel scriptis hæreticam, schismaticam, infidelem, usurpatricem &c. nominare audeat. II. Nemo constituto capitis supplicio præsumat quemcumque alium Anglici sceptri hæredem nominare, aut spargere, quod ad hunc vel illum post Reginæ obitum regni successio pertineat, nisi hi sint proprii Reginæ Filii. III. Nullus sub carceris pœna ad arbitrium proroganda, necnon sub proscriptione bonorum in Angliæ Regnum ceras, ut vocant, Papales, rosaria, imagines, & Cruces in Ecclesiâ Romana usitatas invehere, tenere, aut distribuere audeat. IV. Nemo quoque ob hæresin absolvi petat, vel absolutionem concedat, nisi perduellionis reus haberi velit. V. Nec ullus indicta eadem pœna Bullas, literas Apostolicas, vel alia diplomata, aut Pontificis, aut ejus Ministrorum nomine ad Regnum

defer.

deferre audeat, vel directe, aut indire-
cte per alios deferri faciat, nec cum Curia
Romana, ac Papæ Ministris, & Curia-
libus vel aliis ejus obsequio addictis ul-
lum commercium circa res, quæ Re-
gno, vel Reginae commodis perniciosæ
esse possent, habere attentet. VI. De-
nique nullus sub pœna proscriptionis
omnium bonorum in exteris Regionibus,
præcipue in Pontificis ditionibus
absque speciali Reginae Majestatis suæ
licentia domicilium figere præsumat.

Sæcul. XVI.
A. C. 1570.

§. V.

*Franciæ Rex Mariam libertati resti-
tuit ab Elisabetha postulans.*

Elisabetha Regina haud benignius
Franciæ Regem, quam summum
Pontificem habebat; illa enim frustra
Mariam Reginam in libertatem asseri
ab hoc Rege sollicitabatur, nam eidem
arrogantius hæc in responsis dabat:
„Haud mirum videatur, si detectis clan-
destinis consiliis, quæ ad conjuratio-
nem proxime spectare comperio, re-
bus meis cum majori sollicitudine
prospiciam, atque e carcere suo libe-
ram dimittere recusem illam Principem,
quæ alterius regnum per media mini-
me legitima inhiat, atque a conjura-
tis maximi habetur, nam summæ im-
prudentiæ notam incurrerem, si pro-
priæ

Thuan. l. c.
Cambden
annal. Regn.
Elisab.

Sæcul. XVI
A.C. 1570

„priæ meæ salutis incuria aliorum se-
„curitatem procurare studerem: de ce-
„tero nec Galliarum Rex, nec alius
„quicumque Princeps ægre ferat, quod
„in omnibus meis consiliis, præprimis
„propriæ meæ conservationi, ac uni-
„versi Anglici Regni commodis consi-
„lere satagam.,,

§. VI.

*Propositiones ab Elisabetha ad Ma-
riam transmissæ.*

Cambden &
Thuan. l. l.

Postmodum Elisabetha studiose divul-
gabat, quod lubenti animo Mariæ
regnum reddere vellet, dummodo id
absque ullo Angliæ damno fieri posset,
ut autem se id sincere optare vulgo per-
suadere valeret, hinc Cecilium ad hanc
Reginam ablegabat, ut eidem sequen-
tes proponeret articulos. I. Maria Edin-
nense pactum decem abhinc annis sanc-
tatum ratum habeat, ac quamdiu Eli-
sabetha, ejusque proles legitimæ vita-
runt superstites, juri suo in Angliæ Re-
gnum cedat. II. Nullum foedus cum
quocunque demum Principe contra An-
gliam ineat, vel innovet. III. Nec ul-
lum externum militem in Scotiam ad-
vocet. IV. Cum Anglis, ac Hibernis
absque Angliæ Regiæ consensu nulla
consilia, ac commercia habeat. V. In-
tegra fide Anglos, & Hibernos fugiti-
vos

vos tradat, quoties eos Elifabetha re-
 petierit. VI. Anglis damna per nup-
 eras incursiones in Regni finibus illata
 compenfet. VII. Juxta legum præscri-
 pta in Henrici Darlæi, & Muravii Co-
 mitis Parricidas accurate inquire ju-
 beat. VIII. Filium suum tanquam ob-
 fidem in Angliam mittat. IX. Inscia
 Angliæ Regina nulli ex Anglis, vel abs-
 que Scotorum Ordinum consensu cui-
 cunque alteri nubat. X. Scotis inhi-
 beat, ne invita Elifabetha in Hiber-
 niam transmigrant. XI. Sex obsides
 ad Elifabethæ arbitrium seligendos tra-
 dat. XII. Si quicquam contra Angliæ
 Reginam pactis adversum moliretur,
 prætenso jure suo in Angliæ regnum de-
 cidat. XIII. Ambæ arces Huma, &
 Facista per integros adhuc tres annos
 Anglorum potestati relinquuntur. XIV.
 Quædam propugnacula in Gallovidia,
 seu Cantiræ finibus sita Anglis tradan-
 tur, ut Scoti hac ratione præpedian-
 tur, ne Hiberniam invadant. XV. De-
 nique omnes hi articuli in generalibus
 Ordinum comitiis approbentur, ac con-
 firmantur.

§. VII.

*Scotiæ Reginae responsum ad Eli-
 sabetham.*

li 4

Per-

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

Sæcul. XVI.

A. C. 1570.

Thum. l. 46

Perceptis hisce propositionibus Scotia Regina vagis verbis respondens se excusabat, quod sigillatim ad quemlibet articulum sine consensu illorum, qui in Scotia præcipui ejus essent fautores, respondere haud posset, proin rogaret, ut hæ propositiones iisdem quoque indicarentur. Postea rerum suarum conditionem deplorans Muravi Comitis memoriam detestabatur, graviter querens, quod in hujus cædis Auctores inquitio per judicii viam postularetur: deinde Norfolciæ Ducem excusans se omnem fiduciam in Elisabethæ clementiam reponere affirmabat. Ceterum Regine Consilarii, quibus hæ propositiones pariter fuerant communicatæ, hunc in modum reponebant. I. Fœdus cum Gallis tanto Scotorum pretio initum dissolvi nequit, nisi damna exinde emergentia per Anglos abunde compensentur. II. Maria potissimis hisce articulis libere assentitur, Scotosque ad illos adstringere vult, si Angli idem se facturos pollicerentur. III. Integrum erit, in Henrici Darlæi, & Muravii Comitis necem ex legum præscripto inquirere. IV. Rex in obsidem tradi nequit, quia ab illis detinetur, qui ad honestandam suam rebellionem adversus Reginam ejus auctoritate, ac nomine abutuntur. V. De cetero res hucusque non audita vide-

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

videtur, quod alius Princeps cuidam liberæ Reginæ conditiones pro futuro suo connubio præscribere attentet. VI. Si pacta fanciuntur, Regina non recusat ejusmodi dare obsides, quos Elisabetha ex Scotiæ Proceribus seligere voluerit, dummodo Castri Heraldus Dux, Huntlejus, Argila, & Atholius Comites excipiantur. VII. Si quicquam pactis adversum contra Angliam moveretur, consentit Maria, ut suo in Angliæ Regnum jure privetur, idem tamen vicissim Elisabetha se præstaturam spondeat; VIII. De hoc, quod Huma, & Fadsta tradi petantur, cum arcium istarum Dominis pertractetur. IX. Denique si in Gallovidia, & Cantira propugnacula petantur, sat manifeste elucet, quod perpetuum in Scotia bellum accendendi propositum habeatur.

§. VIII.

*Papa, & Albæ Dux per Rossanum
Episcopum ad opem Mariæ
ferendam incassum sollicitati.*

Cum circa hæc pacta mutuo conveniri haud posset, interea vero Angliæ Regina certior fieret, quod ad obtinendam Mariæ libertatem tam summus Pontifex, quam Albæ Dux vehementer sollicitarentur, hinc inducias

li 5

pro-

Sæcul. XVI. A.C. 1570. prolongare, ac Ordinum comitia dis-
ferre statuit. Sub idem tempus Ro-
fanus Episcopus, qui nuper liber dimi-
sus Mariæ opem ferre toto studio festi-
nabat, transcriptas condiciones, quæ
Mariæ fuerant propositæ, ad Pium V.
summum Pontificem, & Philippum II.
transmisit, eos admonens, Mariam, nisi
prompte auxilium eidem promissum sub-
mitteretur, adactum iri, ut re nec qui-
dem cum suis amicis, ac Principibus
fœderatis communicata cum Elifabetha
transigat, quapropter Episcopus Papam
Regemque exorabat, ne religionem Ca-
tholicam in amplissimis hisce Provinciis
restaurandi, ac Reginam a folio suo per
hæreticos dejectam Regno suo reddendi
occasionem longe opportunissimam elabi-
finant: verum hujus Episcopi sollicita-
tiones suo caruere successu, quippe tum
Hispaniæ Rex suo cum Anna Austriacæ
Maximiliani Cæsaris Filia connubio in-
tentus totam rem Albæ Duci remisit,
cui tamen in Belgio hæretici grave ne-
gotium facebant: solus ergo Pontifex
saltem huic Reginæ pecunias submisit,
quibus tamen eadem res suas restau-
rare haud poterat.

§. IX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

Theologorum Lovaniensium elucubrationes opera Ariæ Montani editæ.

Cum hisce tumultibus interea Anglia, & Scotia agitentur, Lovanienses Theologi hæreticorum libros, necnon ceteros jam antea prohibitos discutiendi curam in se susceperant, ut tam horum, quam illorum lectio omnino prohiberi posset. Absoluto hoc examine ea in quodam indice adnotabant, quæ in pluribus ejusmodi operibus corrigenda essent, hunc vero indicem anno sequenti cum Philippi II. Hispaniæ Regis privilegio typis vulgabant, addito Regis interdicto, quo cujuscunque conditionis hominibus quicquam addere, vel demere vetitum erat. Huic labori Arias Montanus egregie suam quoque sacra- bat operam, qui etiam ex mandato Catholicæ Majestatis suæ novam Biblio- rum editionem concinnabat haud ab- similem Complutensi, quæ Cardinalis Ximenii cura, ac expensis adornata fuit: enimvero Arias ad tam præcla- rum opus apprime idoneus erat, ut vero hoc propositum ad felicem deduce- ret exitum, in Belgium venit, cum ta- men ibi a suis æmulis vexaretur, Romam contendere, ac sui laboris executionem inter-

Thuan. l. 47.
Nicol. Ant.
Bibl. Hisp.

Sæcul. XVI. **A.C. 1570.** interrumpere cogebatur, inde autem in Hispaniam reversus a Rege ad Episcopatum nominabatur, quem ipse acceptare recitans inferioribus beneficiis contentus vivere maluit.

§. X.

Concilium Mechliniense.

Labbe Collect. Concil. tom. 15.

Hoc anno Mense Junio Mechliniæ Concilium Provinciale fuit celebratum, cui Martinus Rithovius Yprensis Episcopus absente Perrenoto Granvellano Cardinale, hujusque Urbis Archiepiscopo præfuit. Ibidem de Tridentinæ Synodi decretis ad usum deducendis agebatur, ejusdem vero Concilii actis sese subscripserunt Episcopi sex nimirum Yprensis, Antverpianus, Ruremondensis, Gandavensis, Brugensis, & Buscoducensis præter Maximilianum Morillonium Vicarium Generalem Cardinalis Granvellani Mechliniensis Archiepiscopi.

§. XI.

Articuli in hoc Concilio agitati.

Labbe l. 2. pag. 790.

Præprimis quædam prælegebantur decreta, quorum primo hæc Synodus inchoata declarabatur, altero autem Archiepiscopi absentia fuit excusata, & tertio sancitum, quod ex sedendi ordine nulli præjudicium nascatur: porro quarta

quarto statuebatur, decreta Concilii Tri-
 dentini esse recipienda, ac quinto ea-
 dem decreta recipiendi forma, nec non
 fidei professio præscribatur, dein sex-
 to actum est de absentibus, eorumque
 Procuratoribus, ac septimo Episcopis
 injunctum, ne ullam fidei professionem
 illi, quæ in hac Synodo præscripta est,
 haud consonam admittant: tandem
 octavo præceptum, ut Episcopi suarum
 Diæcesium Ecclesias etiam exemptas
 lustrent, ac ibi, si in illis statuta, vel
 decreta Tridentino Concilio adversa re-
 pererint, eadem corrigant. His per-
 actis recitabantur novem capita de Ba-
 ptismo, quinque de promovendis ad
 Sacros Ordines, septem de sponfalibus,
 & Matrimonio, octodecim circa cele-
 brationem Divini Officii, quinque de
 festorum observantia, duo de jejuniis,
 & totidem circa sacras Imagines, duo
 de Indulgentiis, & superstitionibus,
 quatuor de Episcopis, atque eorum Offi-
 ciis, sex de juribus illorum, qui Epi-
 scoporum literas expediunt, novem de
 Ecclesiæ Ministris, eorumque residen-
 tia, duodecim de officio Decanorum in
 Christiana Republica, necnon de Pa-
 rochis, quinque de vita, & moribus
 Clericorum, tres de eorumdem corre-
 ctione, tres de scholis, earumque fun-
 dationibus, novem de Catechismis, &
 doctri-

Sæcul. XVI.
 A. C. 1570.

Sæcul. XVI. doctrinis, quæ singulis diebus Domini-
A.C. 1570. cis populo sunt propinandæ, duo de
 Seminariis, quatuor de beneficiorum
 unionibus, septem de denuntiationibus
 & bonorum Ecclesiasticorum conserva-
 tione, undecim de Religiosis, ac Mo-
 nialibus, duo de literis Apostolicis, &
 Judicibus Delegatis, ac denique unum
 decretum de usuris præter duo de Vile-
 tationibus. Demum huic Concilio fi-
 nis imponebatur die decima quarta
 Julii.

§. XII.

*Calvinistæ per suos Deputatos Regi
 pacem offerentes.*

Thucm. l. 47.
Mem. de
Castelln.
l. 7. c. 12. Interea in Galliis Religionis bellum con-
 tinuato furore ardebat, ac Calvi-
 nistæ urbes hucusque amissas recupere-
 rare totis viribus nitentur, quamvis
 autem eorum molimina non penitus
 frustranea essent, nihilominus exeunte
 anno priori millesimo quingentesimo se-
 xagesimo nono rursus de pace mentio-
 nem ingerebant, a Rege postulantes,
 ut eis non solum conscientiæ, sed etiam
 publice, & ubique per totum Regnum
 conveniendi, ac religionis suæ exerci-
 tia peragendi libertatem concederet, id-
 que salva dignitate, & honore ipsis li-
 ceret, quam in rem petebant, ut re-
 scinderentur, atque abolerentur pronun-
 tiatæ

tiatæ contra illos tam intra, quam ex-
tra Regnum sententiæ: proinde Rex
cuncta, quæ attentaverant, ab ipsis tan-
quam pro Regni salute, & commodo
perpetrata approbet, eosque bonis, ac
dignitatibus suis restituat, deque iis,
quæ nunc promittit, servandis, & fi-
deliter exequendis, quibus potest, &
æquius judicabit, rationibus idonee
caveat.

§. XIII.

*Regis responsum ad Calvinistarum
propositiones.*

Ad hæc Calvinistarum postulata Rex
respondit; „de libertate conscien-
tiarum vobis idonee cautum volo, af-
signatis duabus in Regno Urbibus, a
Birono, cui id negotii datum, nomi-
nandis, in quibus libere convenire po-
teritis: de cetero liceat vobis pacate
domi vivere, adeo, ut vestrum nulli
ob Religionis causam periculum creari
possit: copias vero militares dimittatis
velim, Urbesque occupatas reddatis,
atque ab omni fœdere, quod cum ex-
ternis Principibus iniistis, discedatis:
postea autem bonis, & dignitatibus ve-
stris cuncti restituendi eritis, adeo, ut id
& in iis locum habeat, in quorum vicem
alii persoluta Regi vestro in belli sum-
ptus pecunia suffecti fuerunt.

§. XIV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

Thuan. l.c.

Sæcul. XVI.

§. XIV.

A. C. 1570.

Calvinistarum apologia ad pacis r-
pulsam data.

Thuan. l. c.

Calvinistæ cum suæ sectæ, suæque vitæ securitati hisce propositionibus nondum satis cautum esse arbitrarentur illas acceptare renuebant, quapropter passim tanquam pacis inimici fuere proclamati: displicuit autem ipsis hujus accusationis probrum, quapropter edito scripto Mense Martio hoc anno supra millesimum quingentesimo septuagesimo ejus rei culpam a se amoliri nitebantur, dicentes, quod ipsorum hostes magis, quam ipsi, a pacis desiderio alieni essent. „hi enim, inquiebant Calvinistæ, in- „terea miserunt in Angliam, & Germaniam homines, qui pacem jam factam „confirmarent, ut ita auxilia, quæ pro „justæ causæ merito sperari possent, retardarentur, dum diversis ex locis a „foederatis, & juratis Gallicæ tranquillitatis hostibus pecunia, milites, ac „cetera subsidia undique compararentur: Insuper Raymundus Papiensis „Furcovallius Regis apud Philippum II. „Orator ea de re sæpius cum Hispanis „agit: eadem quoque consilia cum Pontifice a Guisianis Principibus agitantur: præterea nuper quoque missus „est in Germaniam Nicolaus Neovillus

Sæcul. XVI.
A. C. 1570.

„a secretis epistolis, qui apud Maximi-
„lianum Cæsarem prudentissimum Prin-
„cipem, & publicæ tranquillitatis ap-
„prime studiosum sparsam de Franciæ
„Regni tumultibus famam dilueret, por-
„ro is & Augusto Saxoni Septemviro per-
„suadere conatus est, res in Gallia ad
„pacem inclinare: sed hæc omnia fa-
„cile refellere possemus, ex haud occul-
„tis machinationibus hostium nostrorum,
„qui ex Religionis Protestantium odio
„partes Romanæ Ecclesiæ in Anglia
„fovent, & Nortumbrio, ac Vestumbrio
„comitibus in manifesta conjuratione
„deprehensis ad alendas seditiones ani-
„mos faciunt.,

„Porro ea, quæ nunc diximus, vera
„esse constat ex interceptis literis, &
„aliis testimoniis, necnon ex promissis
„auxiliis, & viginti navium armatarum
„classe, quam major ab Albano Duce
„instructa paulopost secutura est: ad
„hæc interceptæ etiam fuere Caroli Lo-
„taringii Cardinalis ad amicos, & fa-
„ctionis conscios, quos Lutetiæ habet,
„literæ, quibus mentionem pacis factam
„confirmat, ut interea Rex opportunum
„temporis spatium nancisceretur, do-
„nec a Philippo II., & Pontifice respon-
„sum, seu definitio consiliorum, quæ
„contra Protestantes in Regni perniciem
„inter eos jam dudum agitata fuerunt,

Hist. Ecclesiast. Tom. XLVIII. K k „ha

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

„haberi posset: his ergo, & aliis ratio-
 „nibus adducti, in propositas hacten-
 „nus pacis conditiones nequaquam con-
 „sentire potuimus, eas tamen amplecti
 „alioqui parati sumus, si nihil habent
 „insidiarum, ac sincerum erga nos ani-
 „mum spirant, adeo, ut ejusmodi pace
 „constituta non solum in præsens, sed
 „in posterum firma, ac sincera toto Re-
 „gno concordia fanciatur.

Cum Rex, quod pacem sincero ani-
 mo desideret, testatum facere percip-
 peret, hinc Hermanum Guntaldum Bi-
 ronum magnum rei tormentariæ Præ-
 fectum, & cum eo Henricum Nem-
 mium Senatus secretioris consiliarium
 cum Telignio ad Navarrum, & Con-
 dæum Principes misit, qui cum eis
 serio de pace agerent: nec inanis erat
 eorum labor, quippe pax die octava
 Augusti conclusa, ac firmata fuit edito
 hanc in rem decreto, quod in Parisiensi
 Senatu die undecima ejusdem Mensis
 fuit promulgatum, confirmatumque.
 Hoc edicto omnibus spurix reformatio-
 nis Sectatoribus promissum, ut in om-
 nibus Regni urbibus morari, ac degere
 possent, necnon suam sectam libere pro-
 fiteri valerent in illis civitatibus, ubi
 jam die prima Mensis Augusti hujus an-
 ni post Christum natum millesimi quin-
 gentesimi septuagesimi ejusmodi Reli-
 gionis

gionis exercitium fuisse introductum constat, insuper idem illis permittebatur in aliis locis in edicto designatis: porro cum Ambafiano decreto Provinciarum Prætoribus nonnisi pro eorum familiis, ac subditis Conciones in ipsorum ædibus habendi facultas data fuisset, nunc his quoque concessum, ut ad eas cujuscunque conditionis homines admittere possent, etiamsi illi, quibus suprema jurisdictio, vel aliqua illius pars fuit demandata, ex genere suo nobiles non essent: præterea alio hujus edicti articulo Calvinistis quatuor urbes Ruppella, Montalbanum, Cognacum, & Charitæum, quæ securitatis, & obstagii urbes appellabantur, custodiendæ attribuebantur, ita tamen, ut elapso biennio eas in eo statu, quo nunc essent, Regi restituerent.

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

§. XV.

Hujus pacis Articuli.

Percipiamus nunc præcipuos hujus pacis articulos: ubi Rex in suo edicto hæc habebat: „omnibus nostris Nobilibus, cunctisque aliis Regni incolis, qui in nostro Regno, ac ditionibus nostræ potestati subjectis supremæ jurisdictionis usum, vel illustrioris familiaritatis feudum plenum, prout in Normannia, sive tanquam proprium, sive

Thuan. l. 47.
Recueil de-
ce qui s'est
fait pour ou
contre les
Protest. par
le Fevre
pag. 21.

Kk 2

„ut

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

„ut usufructuarium vel integrum, ac
„aliquam illius partem possident, per-
„mittimus, ut in suis supremæ, ut di-
„ximus, jurisdictionis, aut feudorum
„ædibus, quas pro præcipuo suo domi-
„cilio designabunt, necnon nostri Præ-
„tores ac Senescalli intra jurisdic-
„tionis suæ loca, religionis, quam Re-
„matam dicunt, actus exercere possint.
„quamdiu ibidem resident, iis vero ab-
„sentibus, eorum uxores, ac familie
„sectam profiteri valeant, pro quibus ta-
„men ipsi rationem reddere, & præ-
„fatas ædes nostris Prætoribus, & Se-
„nescallis significare tenebuntur, prius-
„quam hoc favore frui ipsis concessum
„censeatur: insuper eodem exercitio
„frui poterunt in aliis suis superioris
„jurisdictionis, vel præiati feudi domi-
„bus, quamdiu ibidem subsistent, non
„autem aliter id fiat, & cuncta hæc
„disponuntur tam pro ipsis, quam pro
„ipforum familiis, subditis, aliisque
„qui eo venire velint: in illis tamen
„feudalibus domibus, in quibus huius
„religionis Sectatores superioris juris-
„dictionis, ac illustris feudi usum non
„habent, duntaxat ipforum familie hoc
„exercitio frui poterunt, nec tamen
„decernimus, ut tunc, si forte de eo-
„rum amicis non plures, quam decem
„convenient, aut Baptismum confe-
„renti

Favillas
hist. de
Charl. IX.
t. 2. p. 259.
l. 8.

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

„rendi necessitas urgeat, & societas de-
„cem homines non excedens eo con-
„fluat, in eos inquiri valeat.

„Insuper ut Carissimæ, ac dilectif-
„simæ nostræ Materteræ Navarræ Re-
„ginæ benevolentiam exhibeamus, ei-
„dem permisimus, ut præter ea, quæ
„superius Proceribus præfatis jurisdic-
„tionem superiorem habentibus con-
„cessimus, præterea in quocunque ex
„suis Ducatibus, Albretano, Armenia-
„censi, Fuxiensi, necnon in Bigottano
„Comitatu, in quadam suæ ditionis do-
„mu, a nobis seligenda, ac nominan-
„da, cui jurisdictionis jus est annexum,
„præfatam sectæ suæ profitendæ liberta-
„tem exercere valeat, idque sit pro om-
„nibus illis, qui ibidem assistere etiam
„ipsa absente voluerint.

„Præterea præfatæ sectæ Alumni
„illius etiam exercitium habere pote-
„runt in locis mox nominandis, nimi-
„rum in Præfectura Insulæ Francicæ,
„in suburbio Claramontano in Bellova-
„censi agro, atque in Crepiensi Laudu-
„nensis Præfecturæ suburbio, necnon
„in Campaniæ, & Briæ ditionibus apud
„Vezelias, quas iidem hodie possident:
„insuper libero suæ sectæ exercitio gau-
„dere poterunt in Arnei - Ducensi, &
„Mellivillano Præfecturæ Burgundicæ
„suburbis: pro Picardiæ Præfectura

Kk 3

„in

Sæcul. XVI.

A.C. 1570.

„in Montis-Desiderii, & Riblemontii sub-
 „urbis: pro Normanniæ Præfectura in
 „Pontis- Audemari, & Caretani sub-
 „urbis: pro Lugdunensi Præfectura in
 „Carliei, & sancti Genesii Vallis Gu-
 „donis suburbiis: pro Præfectura Bri-
 „tanniæ in Bechetalii, & Kerhesii sub-
 „urbis: pro Delphinatus Præfectura
 „in Crestidiano, & Caturigiano subur-
 „bio: pro Provinciæ Præfectura in sub-
 „urbis Merindolano, & Foro - Calca-
 „riensi: pro Occidaniæ Præfectura, præ-
 „ter Albenas, quas hi ipsi hodie dum
 „usurpant, in Montaignacensi suburbio
 „pro Aquitanniæ Provincia in sancti
 „severi oppido ab ipsis nunc possesso,
 „atque etiam Bergereci, denique pro Au-
 „relianensi, Turonensi, Cenomanensi, &
 „Carnuteni ditone Sanceris per eos an-
 „tea occupatis, atque in Pago Maliano:
 „præterea eisdem indulgimus, ut præfata
 „sectæ exercitium facere, & continuare
 „va eant in omnibus urbibus, ubi illud
 „prima Augusti die publicum invenietur.
 „De cetero stricte inhibemus illis,
 „ne vel circa animarum ministerium,
 „aut disciplinæ leges, vel puerorum,
 „aliorumque institutionem ullum præ-
 „fatae sectæ exercitium habeant, ex-
 „ceptis iis locis, in quibus id fieri an-
 „tea permisimus, ac concessimus: nec
 „etiam ullo pacto præfata Religio, quæ

„se reformatam jactitat, in nostra aula,
 „vel in locis ei vicinis in usum dedu-
 „catur, neque etiam nostra mens est,
 „ut aliquod præfatæ sectæ exercitium
 „in urbe, Præpositura, ac Vice-Comi-
 „tatu Parisiensi fiat, illas autem decem
 „leucas restrinximus, & restringimus ad
 „sequentia loca, nimirum ad Sylvane-
 „ctum, ejusque suburbia, necnon ad
 „unam leucam ultra Castrum infra
 „Montem-Erici, Dordiacum, ejusque
 „suburbia, Rambulietum, Hudanam
 „unacum illius suburbiis, necnon ad
 „leucam ultra Meulanium, Vigniam
 „Marum, & sancti Levi Saranensis op-
 „pidum, ad quæ tamen loca nullate-
 „nus extensam volumus libertatem pro-
 „sitendi prædictam Religionem: insuper
 „nostris Prætoribus, Senescallis, aut judi-
 „cibus ordinariis injungimus, ut quilibet
 „intra suæ jurisdictionis fines loca ad
 „Calvinistas spectantia, sive ea antea a-
 „quisierint, sive postea obtenturi sint, vel
 „alia eis assignent, ut ibidem suos mor-
 „tuos terræ mandare valeant, iisque de-
 „cedentibus ex hac familia, vel domo
 „quisquam Satellitum Tribuno eorum
 „obitum denuntiet, hic vero Parochiæ
 „vespillonem accersat, eidem præci-
 „piens, ut cum tot satellitibus, quot
 „ei bene visum fuerit, funus comite-
 „tur, ac ullam injuriam inferri præ-
 „pediat, simulque noctu cadaver aufe-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1570.

Kk 4

„rat,

Sæcul. XVI
A. C. 1570.

„rat, atque ad quempiam ex locis de-
„stinatis conducatur, quin plures quam
„decem homines, in funeris comitatu
„præsto sint, in aliis autem urbibus,
„ubi nullus Satellitum Tribunus reper-
„tur, ibi quidam Fori criminalis Mini-
„ster a loci Iudice designabitur.

„Præterea prohibemus, ne præfata
„religionis sectatores ullum matrimo-
„nium in consanguinitatis, vel affinita-
„tis gradibus per leges in Regno re-
„ceptas prohibitis contrahere audeant:
„nec etiam ob religionem ullum lit-
„discrimen, vel distinctio inter Schola-
„res, infirmos & pauperes, qui ad Uni-
„versitates, Scholas, Nosocomia, Le-
„prosorum domos, & publicas Elees-
„mosynas, admitti postulant.

„Præcipimus etiam, ut prædictæ
„sectæ alumni politicis nostri Regni le-
„gibus se submittant, proin festos dies
„colant, nec tunc operibus servilibus
„vacare, neque dictis diebus vendere,
„aut officinas apertas tenere pos-
„sint, nec diebus jejunii, in quibus cat-
„nibus vesci apud Catholicos prohibi-
„tum est, laniones carnem venum
„exponant.

„Cum autem plures tot injurias, &
„damna tam in suis bonis, quam etiam in
„proprio corpore suo pati, ac tolerare
„coacti sint, ut ægre illorum memoriam
„obli-

obliterare valeant, prout tamen ad
 voluntatis nostræ executionem neces-
 se foret, hinc omnibus incommodis
 obviaturi, atque illis opem latu-
 ri, qui ob gravioris mali, molestiæ, vel da-
 mni metum ad sua reverti non audent,
 donec ejusmodi inimicitæ, ac ranco-
 res erunt mitigati, securitatis gratia
 spurix reformationis sectatoribus attri-
 buimus Rupellam, Montalbanum, Co-
 gnacum, & Charitæum urbes, ut illi,
 qui nunc ad patriam suam redire no-
 luerint, in hisce urbibus interea mo-
 rari, ac domicilium figere possint:
 ut vero illorum securitati magis adhuc
 sit consultum, nostri Fratres, atque
 Avunculi Navarrus (*), & Condæus
 Principes, necnon viginti nobiles huic
 sectæ addicti semel pro omni tempore
 jurabunt, ac tam pro se, quam ce-
 teris suæ sectæ fociis promittent,
 quod præfatas urbes nobis conserva-
 re, ac post biennii lapsum, & spa-
 tium ei, quem ad hoc deputare bene-
 visum fuerit, in eo statu, quo nunc
 sunt, reddere velint, quin in illis quic-
 quam innovare, vel immutare aude-
 ant, aut ullam tergiversationem, sive
 oppositionem adhibeant quacunque de-

K k 5 „mum

(*) Hic idem fuit ac Bearnix Princeps, qui
 postea Franciæ Rex Henricus IV. nominabatur.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1570.

Sæcul. XVI.

A. C. 1570.

„mum ex caussa, seu occasione: evolue-
 „to tamen tempore præfatæ sectæ ex-
 „ercitium ibidem continuetur, prout
 „antea factum: de cetero injungimus,
 „ac mandamus, ut ad hæcæ urbes cum-
 „cti Ecclesiastici libere accedere, ac cum
 „plena libertate Divino officio vacare,
 „suisque bonis unacum ceteris omnibus
 „Catholicis harum urbium incolis frui
 „valeant, imo nostri præfati Fratres,
 „ceterique nobiles hosce Ecclesiasticos,
 „atque incolas sua protectione, ac præ-
 „sidio foveant, nec ullatenus illos, vel
 „in suo corpore, aut suorum bonorum
 „usu molestant, seu interturbent, sed
 „potius eos in plenam suorum bonorum
 „possessionem reducant, ac redintegrent
 „præterea præcipimus, ut in prædictis
 „quatuor urbibus nostri Judices iterum
 „suis officiis restituantur, ac judiciorum
 „usus, prout ante hosce tumultus fue-
 „rat, restaurentur. „

Denique Rex declarabat, quod Ma-
 terteram suam Navarræ Reginam, Na-
 varræ Principem, ac Condæum tan-
 quam suos Patronos, & fideles subdi-
 tos agnoscat, æque ac ceteros Proce-
 res, Equites, aliosque hisce Principi-
 bus addictos, imo tiam Oranium Prin-
 cipem, Ludovicum Nassovium ejus Fra-
 trem, Volradum Mansfeldium, ceteros-
 que omnes externos, qui hisce Principi-
 bus in hoc bello opem tulerunt. Porro
 quo-

quoad ceteros Principatus regios, ^{Sæcul. XVI.}
 Navarræ Reginæ jussu occupatos, nec ^{A.C. 1570.}
 non ad alia, vel in hoc, aut in præce-
 dentibus bellis ex Belliducum manda-
 to facta, Rex ea omnia rata habuit,
 nec in ea in posterum inquiri voluit.
 Addebantur insuper quidam articuli,
 qui captivorum libertatem, ac lytra ab
 eis pendenda, necnon rerum mobilium
 in hoc bello ereptarum restitutionem,
 fructuum perceptionem, domuum ever-
 sionem, & militum exactiones in urbi-
 bus factas concernebant: præterea de-
 claratum, quod Oranio Principi, & Nas-
 soviis ejus Fratribus bona in regno an-
 tea possessa juxta pacta olim cum Hen-
 rico II. Regis Patre, & Francisco I. ejus
 Avo inita reddantur. His articulis sub-
 jungebatur, quod omnes contractus,
 nomina, aliæque literæ utrinque du-
 rante bello ablatæ restituantur: cum
 vero ob Rapini supplicium Tolosanus
 Senatus Protestantibus oppido suspe-
 ctus esset, sancitum est, ut rerum cog-
 nitio, a qua alias ad præfatam Curiam
 appellari fuit licitum, deinceps ad li-
 bellorum supplicum Magistros devoluta
 censeatur, hique de causis ita judican-
 di facultatem habeant, ut ab eis pro-
 vocari non valeat: præterea Protestan-
 tibus permissum, ut in Curiis Rotho-
 magensi, Divionensi, Aquensi, Britan-
 nica,

Sæcul. XVI. nica, & Gratianopolitana sex Præfides
A. C. 1570. feu Confiliarios, tres scilicet ex qual-
 bet Curia, & in Burdegalensi Senatu
 ex quavis Curia quatuor tanquam in-
 spectos rejicere valeant, quin hujus re-
 pulsæ causas allegare necesse sit. Ce-
 terum specialem mentionem de Colimio
 Maris Præfecto in hisce articulis fuisse
 factam non apparet.

§. XVI.

*Germanis Calvinistarum militibus Regis
 stipendia solvere coactus.*

*Recueil l. c.
 p. 22.
 Mem. du Cal-
 vinisme par
 Soulier l. 3.
 p. 127.*

In hisce pacis articulis præ omnibus
 magis insolitum videtur, quod Cal-
 vinistæ, qui ampla pecuniarum elargi-
 tione Equites, ac pedites e Germania
 evocarunt, nunc autem illis æs militare
 solvendo impares erant, audacter Regem
 adegerint, ut eis stipendia numeraret,
 quam in rem Michael Castelnaldus
 Mauviserius die nona Septembris Lyfæ
 in Bria accepit demandatæ facultatis
 literas, quibus munitus nomine Regis
 pollicitus est, quod vigesies centies mil-
 le librarum summam, quæ in Germa-
 norum peditum, ac equitum stipendia
 expendenda erat, Principibus, ac Pro-
 ceribus numerare velit, comprehensis
 tamen illis trecentis librarum millibus,
 quæ fervente pacis consilio perfoluta
 jam fuerant: insuper idem Castelnaldus
 Regis

Regis nomine sese obstringebat, quod Sæcul. XVI.
A. C. 1570.
residua decies septies centena librarum
millia in Cenomanensi urbe numerare,
ac tradere velit, ea lege, ut quadrin-
genta viginti quinque librarum millia
quotannis usque ad postremum solutio-
nis spatium penderentur: proin Fran-
ciæ Reges, inquit quidam Scriptor, ut
pacem ab hisce piis, ac fidelibus, si
superis placet, subditis redimere pos-
sent, sumptus durante bello factos, &
insuper aliena debita ab his apud exte-
ros contracta solvere compellebantur:
eapropter Calvinistæ, etsi suis victoriis
in hoc postremo bello totum, qua late
patet, regnum emensi fuissent, nun-
quam tamen pacem suæ factioni magis
proficiam, ac conditionibus magis am-
plis uberem sperare potuissent, hinc sa-
nioris iudicii homines probe prospexe-
rant, quod pax ipsis tantopere utilis
haud diu subsistere valeat.

§. XVII.

Pax Rupellæ promulgata.

Hoc edictum in omnibus regni Curias
promulgatum ipsemet Rex se exe-
cutioni mandaturum jurejurando testa-
batur, ipsamque Reginam, Andega-
vensem Ducem, suosque Senatus, ac
Curia Magistratus ad idem sacramen-
tum integra fide præstandum adegit:
præ-

Sæcul. XVI. præterea cunctis Gubernatoribus, Præ-
 A.C. 1570. fidibus, ceterisque præceptum, ut pu-
 blice, atque interposita juramenti re-
 ligione se ad illud servandum obstrin-
 gerent, constituta mortis pœna in trans-
 gressores. Demum Principes unacum
 maris Præfecto, Ludovico Nassovio, Te-
 linio, & Bellovacensi Nuclea ad Lir-
 gones usque profecti Volrado Mansfeldio
 grates rependerunt, ac Germanorum
 copias dimiserunt, quas Renelius Mar-
 chio usque ad regni fines comitabatur,
 hi vero Proceres Charitæum delati, in-
 de per Lemovicensem, & Engolismen-
 sem agrum iter prosequentes Rupellis
 ineunte Mense Octobri Navarræ Regi-
 nam convenerunt, in qua etiam urbe
 præfatum edictum die vigesima Augu-
 sti in arcis foro promulgatum est ante
 ædes ipsius Navarræ Reginæ, quæ unacum
 Filia sua, ac honorariis puellis,
 necnon Rupifocaldio Duce, ac Rupio
 supremo Regii Stabuli Præfecto, plu-
 ribusque aliis Proceribus, ac Nobilibus
 per fenestras prospiciebat: ubi duo re-
 gii tibicines tertia jam vice tubas infla-
 bant, ac postea Delphinatus Provincie
 Fecialis, & demum Burgundiæ, & An-
 degaviæ Caduceatores edictum præle-
 gentes pacem promulgarunt, quo peracto
 Navarræ Regina Nortto Rupellensis Ec-
 clesiæ Ministro injunxit, ut publica præ-

*Mem. del' E-
 toile tom. I.
 p. 14.*

preces funderentur, quibus absolutis festiva omnium belli tormentorum explosio insonabat. Ceterum Rex Cossæum Marefcallum Rupellas ablegabat, ut necessaria quævis ad hujus edicti executionem disponderet.

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

§. XVIII.

Regis consilium de sua Sorore Margaritha Navarræ Principi desponsanda.

Cum interea hæc gererentur, Rex pariter de connubio inter Magaritam Sororem suam, & Navarræ Principem ineundo consilia agitabat, hancque in rem Cossæum Marefcallum, & Gontaldum Bironem Rupellas decernebat, ut hi Navarræ Reginae hæc nuptias proponerent, simulque de legis gratia a Pontifice impetranda fidem facerent, ut hac ratione obstacula ex sanguinis propinquitate, ac religionis diversitate inter Sponsos exorta tollerentur. Verum Navarræ Regina hanc propositionem eludere intenta ambobus hisce Proceribus in responsis dabat, ipsius Filium magno quidem honore a Galliarum Rege affici, cum autem ille præ omnibus mundi honoribus suam religionem cordi habeat, hinc prius se cum conscientiae suæ Moderatoribus id negotium collaturam spondebat.

Dupleix hist.
de France
tom. 3. p.
580. & seq.

§. XIX.

Sæcul. XVI.
A. C. 1570.

§. XIX.

Nuptiæ inter Franciæ Regem, & Elisabetham Austriæ Archiducissam.

Thu. l. 47.
p. 661.

Paulo post ipsemet Galliarum Rex Elisabetham Austriæ Archiducissam sibi copulabat, eamque Mezeriis excipiebat, die autem vigesima quinta Novembris Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo nuptias celebrabat, cum ipse tunc ætatis suæ vigesimum quintum unacum quinque Mensibus, Elisabetha autem decimum sextum ageret.

§. XX.

Protestantium Germanorum Principum Legati Villeriæ ad Cotiam a Rege excepti.

Thu. l. 47.
p. 662.

Die vigesima tertia proximi Mensis Decembris Rex Villeriæ ad Cotiam agens Principum Germanorum Protestantium Confessioni Augustanæ adjectorum Legatos excipiebat; hi enim in Spirensibus comitiis congregati hanc Legationem decernebant, ut Regi ob contractum nuper cum Cæsaris Filia matrimonium gratularentur, simulque illum rogarent, ut pacis articulos non ita pridem cum regni sui Calvinistis sancitos executioni mandari curaret. Porro Legati hunc in modum perorabant:

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

„Societas per nuperum matrimonium
 „inter Cæsarem, & Regem inita non
 „solum ad amicitiam inter potentissimos
 „hos Principes, atque adeo inter Germa-
 „nos, & Gallos conservandam confert,
 „sed etiam sperandum, hoc foedus ad re-
 „media malis passim præcipue ob reli-
 „gionem grassantibus mature adhiben-
 „da maximum pondus habiturum: gau-
 „dent interim summopere Principes no-
 „stri, quod pax inter ipsos facta perni-
 „ciosissimos tumultus quorundam am-
 „bitione excitatos prudentia, & æqui-
 „tate mira fedarit; proinde orant, ut
 „Rex auctoritatem, ac dignitatem, quam
 „pax præter multorum voluntatem con-
 „stituta recuperavit, tueri in posterum
 „velit, neque iis aures præbeat, qui
 „sectariis fidem servandam negant, &
 „impossibile ajunt, ut in eo regno tran-
 „quillitas sarciri possit, in quo diversæ
 „de religione sententiæ obtinent, nam
 „& in Turcico imperio nulla con-
 „scientiæ vis infertur, & Monachi in
 „monte Atho habitantes quotannis do-
 „na a Sultanis accipiunt, & in Regno
 „Poloniæ, quod inter Christiana am-
 „plissimum est, Religio Romana, &
 „Græca semper locum habuerunt, & in
 „compluribus civitatibus templa utris-
 „que assignata fuere: paucis vero ab-
 „hinc annis pleraque nobilitas Augu-
 „Hist. Eccles. Tom. XLVIII. Ll „sta-

Sæcul. XVI. „stanæ Confessione subscripsit, nectamen
A.C. 1570. „conspiciuntur turbæ in eo regno, in quo
 „per diversæ Religionis homines rerum
 „administratio fit, & publica munia in-
 „discriminatim inter ipsos distribuun-
 „tur: præterea id agnovit, sed serius
 „Carolus V, & post eum Ferdinandus
 „Cæsar, qui tandem non aliam pacis
 „in Imperio constituendæ rationem in-
 „ire potuerat, quam justa conscientis
 „libertate permiffa, & quamvis Ferdin-
 „andus præ omnibus Romanæ Eccle-
 „siæ addictus fuerit, primo tamen præ-
 „trimonialibus Imperii subditis eam li-
 „bertatem permiffit, & postea in Lusitania,
 „& Silesia, ac dein paulo ante mortem
 „suam in quibusdam Austriae locis,
 „ut fieret, toleravit. Eadem Maximilianus
 „prudentissimus Princeps gratia,
 „& indulgentia erga suos usus est, cu-
 „jus affinitatem cum Franciæ Rex ex-
 „petere voluerit, eapropter ut illius
 „quoque exemplum ea in re sequatur,
 „illustrissimi Principes, quam vehementer,
 „& enixe possunt, regiam Majestatem
 „obsecrant, nam jam pridem pri-
 „mis Christianorum temporibus disputa-
 „tionibus agitatum est, quod res di-
 „versæ sint, bonum subditum, & bonum
 „Christianum esse: itaque & Tartari in
 „Polonia, qui Mahumetani sunt, ac
 „plerisque in locis, etiam Romæ Ju-
 „dæi,

„dæi, atque in Turcico Imperio Chri-
 „stiani simul, & Judæi tolerantur: igitur
 „tur decet prudentissimum Principem
 „præteritorum malorum insontem, ut
 „hujusmodi pravis consultoribus, ac tur-
 „barum incentoribus aures claudat, sic-
 „que apud se perpendat, quod pax pieta-
 „tem, & leges firmet, bella vero Reli-
 „gionem, & regiam auctoritatem con-
 „vellant: si quis vero adeo audax re-
 „periat, qui Regiam Majestatem, quæ
 „ad pacis consilia animum contra sedi-
 „tiosos obfirmavit, turbare conetur, il-
 „lustriissimi Principes isthuc nos ablega-
 „runt ad significandum Regiæ suæ Ma-
 „jestati, quod parati existant omnes
 „opes, ac vires in id impendere, ut co-
 „natus tam perniciosi reprimantur, &
 „regno florentissimo, cujus bona, &
 „mala ad publicam Christiani orbis
 „tranquillitatem proxime spectant, pax,
 „& quies constet: de cetero autem Rex
 „cogitet, quod bellum non minus Reli-
 „gioni, quam regno noceat. „

§. XXI.

Regis responsum ad Legatos.

Altera die vigesima quarta Decembris *Thu. l. c.*
 pridie ad Natalis Dominici festivi-
 tatem Rex Legatis ita respondit: „fœ-
 „dus hoc ob id præcipue expetii, eo-
 „quod cognoverim, quod Cæsar, qui,
 „prout

Sæcul XVI
 A.C. 1570.

Sæcul. XVI
A.C. 1570

„prout dignitate inter Principes Christia-
„nos præcellens, sic prudentia, magna
„nimitate, clementia, & æquitate prin-
„cipem inter eos locum tenet, in id sem-
„per laboraverit, ut securam, ac fir-
„mam in Christiano orbe tranquillita-
„tem procuraret; nunc quoque pie
„ejusdem Cæsaris voluntati præcipue
„vestris salutaribus juxta, ac benevo-
„lis monitis instructus respondere de-
„crevi, & amicitiam, quam Majores
„mei, & in primis Henricus Parens, ac
„Franciscus Avus meus cum iis colue-
„runt, sancte, religioseque servare sta-
„tui. Cum hoc responso dimissi Le-
„gati, & honorifice muneribus donati
domum ad suos revertebantur.

§. XXII.

*Maurorum seditio in Hispania, eorum-
que crudelitates contra Christianos.*

Thuan. l. 48.
p. 669.

*Spond. in an-
nal hoc ann.*
n. 14.

Hoc item Anno Christi millesimo quin-
gentesimo septuagesimo in Hispania bello contra Mauros gesto, ac ul-
tra triennium protracto finis impone-
batur, cum enim Mauri in regno Gra-
natensi ab Hispaniæ Reëtoribus sese in-
humanius haberi crederent, jugum ex-
cutere moliti propriæ suæ Nationis Re-
gem eligebant, qui vocabatur Ferdi-
nandus Valora, seu Valoira: porro is
erat viginti quinque annorum juvenis:
ast

ast animo intrepidus, ac generosus, necnon inter ipsos divitiis, generisque nobilitate summe conspicuus. Eo electo Mauri contractis undique copiis omnia ferro, flammaque miscebant, ac Christianos in Alpuxerrana, & Almerianensi ditione innumeris crudelitibus conficiebant, profanataque Templorum Religione vario suppliciorum genere Religiosos interficiebant, præcipue vero Quecisari, ubi Augustinianorum cœnobium erat, nam ibi, cum Religiosi ad turrim se collegissent, incendio locum consumpserunt, miserosque hosce captivos in oleum fervens, cujus abundantia illis in locis est, conjecerunt: plebanum vero Terquensem pulvere tormentario impleverunt, & igne immisso crudeliter cremarunt, ejusque Vicarium in terram vivum defoderunt umbilico tenus, sagittas in os tanquam in scopum per ludibrium dirigentes: insuper alios ita defossos ad mortem usque reliquerunt, crudeliore mortis genere, quippe fame, & vermibus toto corpore succrescentibus enecatos: præterea quosdam membris mutilarunt, & mulieribus infestissimis arcuum ictibus interimendos tradiderunt, ac nonnullos in Christiani nominis opprobrium cruci affixerunt, quamvis summam in iis constantiam experti sint: hi enim nul-

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

Sæcul. XVI.
A.C. 570.

lis pænis adduci potuerunt, ut fidem veram ejurando vitam redimerent: eequidem Aben-Jahuai Barbarorum caput specietenus obnitebatur, & blanditiis potius grassandum suadebat: Aben-Humeja vero Rex affectata clementiæ laude summopere se ab hujusmodi crudelitatibus alienum simulabat, edito proposito, ne quis in pueros decem annis minores, aut in mulieres, vel alios homines sine causæ cognitione sæviret.

Hispani vim vi repellere coacti nunquam infidelium sævitiis pari crudelitate vicissim plectebant, Maurosque iterata clade profligabant, qui tamen inde ferociores efficiebantur, adeo, ut Hispani novis militum supplementis suas copias augere compellerentur, quibus Joannes Austriacus pro summo imperio præerat: unde sæpius certamine inuito utrinque magna strages edebatur: nec raro Hispaniæ Rex fastidiebat bellum suo regno tantopere perniciosum, in quo etiam tot generosorum militum jacturam fecerat, quapropter pacem inire statuit: verum illam obtinere nequiverat: tandem vero armorum vi de hisce infidelibus cum suo exercitu ductore Arcuensi Duce tam gloriosam reportabat victoriam, ut omnes, qui victorum gladios declinaverant, propu-

pudivosa fuga vitæ suæ consulere cogentur, tam infausto suorum fato, ut haud amplius quicquam moliri possent.

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

§. XXIII.

Continuata Baji Lovaniensis Doctoris caussa.

Hoc anno Bajus a suis adversariis acriter agitabatur; Jodocus enim Ravesteinius, qui Lovaniensis Universitatis privilegia tueri jubebatur, cum esset ob suam eruditionem inter Theologos celeberrimus, totis viribus sese Bajo, ejusque erroribus opponebat: verum hoc ipso anno die septima Februarii præmatura morte vivis eripiebatur.

Op. Baji t.
2. Bajan.
p. 199.

Huic successerat Cunerus Petri Duvindikii quodam Zeelandiæ oppido natus. Hic Doctor religionis studio, ac fervore accensus cum Bajo magni nominis theologo in arenam descendere minime dubitabat, palamque eum impugnans suarum partium esse censuit, ut in publicis Scholæ exercitationibus, quæ ab ipso quolibet die Sabbati habebantur, ac propterea *Sabbatinæ Scholæ* vocabantur, Baji errores confutaret: insuper quidam Minorita nomine Godofridus Leodius in concionibus, quas hoc anno per jejunii Verni tempus in Templo Fratrum Minorum habebat, eundem Bajum exagitabat, eumque

L 1 4 ambo

Sæcul. XVI
A.C. 1570.

ambo hi Doctores accusabant, quod Jo-
doco Ravesteinio vita functo novos in
Univerlitate motus excitaret, atque ar-
tículos a Papa proscriptos audaciori
animo, magisque aperte defenderet:
eapropter tres Episcopi Martinus Rich-
tovius, Episcopus Iprensis, Franciscus
Sonnus, Sylvæducensis Præsul, &
Cornelius Jansenius, Gandavensis Anti-
stes, cum hosce tumultus prævenire
fatagerent, die undecima Aprilis Bajo
auctores erant, ut genuine doctrinam
suam publice circa hosce artículos ex-
poneret, sicque animos placaret, ac
æmulis silentium imponeret.

§. XXIV.

*Bajus mentem suam publice ex-
plicans.*

Op. Bajii.
t. 2. p. 14.

Bajus horum Præsulum consilio aquie-
scens die decima septima ejusdem
Mensis mentem suam circa artículos a
Papa damnatos exponere cæperat, hanc-
que explicationem usque ad deciman-
nonam Aprilis diem in Theologiæ scho-
la profecutus est, ubi præsentés aderant
cuncti Facultatis Doctores, pluresque
alii Viri: „Dicam vobis, inquebat Ba-
„jus, id, quod nunquam antea protuli.
„Ante duos propemodum annos scitis
„missam fuisse Bullam ex Urbe Romana,
„in qua damnantur artículos, quorum
„qui-

Sæcul. XVI.
A. C. 1570.

„quidam sunt falsi, & recte damnan-
 „tur, alii vero male intellecti, atque
 „aliqui a Collectoribus non recte col-
 „lecti, aliqui autem tantum odiosi, eo-
 „quod in eis servatus non sit consuetus
 „in scholis usus loquendi, videlicet se-
 „cundum Scholasticos receptus, cum
 „tamen aliquoties Patres reperiantur
 „eodem modo locuti.

„De hac re nihil antea vobis dixi,
 „nec dicere volui ob certas causas:
 „quarum prima est, ut res ista silentio
 „sopiretur, & non nasceretur major
 „contentio, aut turbatio, cum aut col-
 „lectores viderentur infimulari falsitatis,
 „& calumniæ, aut Sedes Romana ar-
 „gui negligentia, & præcipitis senten-
 „tiæ, quam nunc vel maxime, propter
 „turbatissima tempora, in summa vene-
 „ratione, auctoritate, & dignitate esse
 „doceo. Secunda causa erat, eo quod
 „multa essent, quæ ad me non perti-
 „nent, & de quibus ne cogitaverim
 „quidem, per istos circiter quadraginta
 „articulos. Tertia ratio fuit, ne quem ex-
 „asperarem, aut exagitarem magis, cum
 „potissimum in diluendis criminibus, quæ
 „falso objecta sunt, non possit se homo
 „omnino modeste continere, & affecti-
 „bus temperare, *qui enim non offendit*
 „*in verbo, hic perfectus est vir:* mihi ta-
 „men temperavi, quantum potui, nam

L 5

„tra-

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

„tractata hæc fuerunt in Collegio Theo-
 „logorum, videlicet in Sabbatinis di-
 „sputationibus a Cunero Petri habitis,
 „necnon in concionibus a Godefrido
 „Leodio in Quadragesima apud Mino-
 „res dictis, ego semper tamen tacui, &
 „adhuc tacuissem, nisi Reverendissimis
 „Dominis aliter visum fuisset expedire
 „consolatus autem sum me hætenus
 „illa sententia sancti Leonis Papæ, quam
 „protulit de passione Domini: *Dominus*
 „*elegit tacere, quando enim non potest uti-*
 „*liter responderi, tunc præstat tacere: cogi-*
 „*tabam ergo hoc quoque pertinere ad*
 „afflictionem justorum, & dicebam mihi
 „si bene fuit, debeo habere patientiam,
 „si male, Dominus remunerabitur, si
 „forte Dominus pro hac maledictione,
 „reddat mihi, prout ait David, bene-
 „dictionem.,

„Nunc autem videlicet undecimo
 „Aprilis die visum est Reverendissimis
 „Dominis Martino Rythovio Iprensi
 „Episcopo, Francisco Sonnio Bulcodu-
 „censi, & Cornelio Jansenio Gandavensi
 „expedire, ut aliquid hac de re vobis
 „dicerem, & meipsum explicarem, qua-
 „tenus hæc infamiae nota a me amove-
 „retur; nam dicebant, ubique constan-
 „tissime fama deferri, quod post obitum
 „Magistri nostri Tiletani Ravesteinii om-
 „nia denuo turbare, & innovare, &
 „hujus-

„hujusmodi articulos docere aggressus
 „fuerim: porro hoc quam falsum sit,
 „scitis, quin & unico argumento vobis
 „manifestissime declarabo. „

Sæcul. XVI.
 A.C. 1570.

„Scripsit mihi quidam Licentiatus,
 „me propemodum annis decem senior,
 „ex Gandavensi civitate passim illic hoc
 „proclamari: ego autem diligenter in-
 „spectis literis, & tempore, quo scriptæ
 „erant, cum prima lectione, quam post
 „mortem *Jodoci Ravestein* Tiletani fe-
 „ceram, collato comperi, tantum tres
 „dies intercessisse: ex quo videtis, non
 „potuisse istud nuntium tam subito il-
 „linc transferri, & literæ huc ad me
 „transmitti. „

„Plus, minusve viginti annis in hac
 „Schola *Lovaniensi* docui: nunc vero pro-
 „pter hunc tumultum decreveram, & a
 „lectione, & a disputationibus penitus
 „abstinere, ne major contentio nasce-
 „retur: hinc etiam, quando positiones
 „disputandæ mihi exhibebantur, si quid
 „hujusmodi haberent, jussi deleri, vel
 „si quid hujusmodi inter disputandum
 „tractaretur, tacui, ut silentio res tan-
 „dem sopiretur, qui enim præsidet di-
 „sputationibus, sedet quasi lepus cani-
 „bus expositus, nam alius trahit hinc,
 „alius illinc vellicat, nec semper fieri
 „potest, ut homo tam considerate re-
 „spondeat, ut omnibus placeat: quippe
 „aliqui

Sæcul. XVI. „aliqui aut non recte quæstionem intel-
A.C. 1570. „ligunt, aut male eam referunt, alii
 „sunt nimium Zelantes pro alterius sen-
 „tentia; hinc nascitur contentio, & sæpe
 „calumnia. „

„Ne tamen munus meum abdicarem,
 „aliæ rursus rationes prohibebant:
 „quia videlicet singuli de suo talento
 „rationem sunt reddituri: nec ille ex-
 „cusatur, qui talentum in terram fo-
 „derat, dicens: *sciebam, quia austerus*
 „*esses, & durus, &c.* secundo, quia,
 „sicut dicit S. Augustinus l. 22. de Ci-
 „vit. c. 23. *justus non debet ob maledicti,*
 „*aut calumniam ab impertiendis benefi-*
 „*ciis retardari.*

§. XXV.

*Bajus sigillatim ad singulos articulos
 respondens*

Absoluto hoc sermone artificiose con-
 cinnato Bajus omnes articulos per
 Bullam proscriptos discussit, ac præ-
 primis de illis, qui omnino erant falsi,
 ita agebat: „Hæc sine dubio falsa sunt,
 „& recte damnantur, sed non sunt mea,
 „nam hæc nunquam cogitavi, nec in li-
 „bris meis invenietis. *Ad articulos dubios,*
 „*& obscuros, qui non sunt in sensu ab ipso*
 „*intento intellecti, dixit: si tamen sci-*
 „*visssem, eorum occasione propter incon-*
 „*suetum modum in scholis loquendi, alii*
 „quos

„quos offensum iri, tacuisssem, & vel-
 „lem, me non sic scripsisse. „

Sæcul. XVI.
 A. C. 1570.

Bajus cum ad articulos de gratia
 responderet, hæc circa primum, ter-
 tium, septimum, & nonum, qui de
 Angelorum, & primi hominis gratia
 agunt, effatus est: „alia est gratia, quæ
 „datur peccatoribus per Christum Re-
 „demptorem: alia est gratia, & paulo
 „alterius conditionis, quæ data fuisset
 „hominibus, si in statu puræ integra-
 „tis perseverassent. *Dicit itaque, se in-*
 „tellexisse de gratia Christi, quia nec An-
 „geli, nec primi hominis merita recte vo-
 „cantur gratiæ, per Christum videlicet Me-
 „diatorem, & Redemptorem factæ. „

Circa Articulos de ente naturali, & su-
 pernaturaali his verbis mentem suam ex-
 plicabat: „Naturale aliquando vocatur
 „id, quod homo habet a nativitate, si-
 „cut nunc nascitur, videlicet corrup-
 „tus, & sic homini sunt naturalia non
 „solum Corpus, & anima, sed etiam
 „peccatum; hinc Apostolus, *eram us na-*
 „tura filii iræ: porro dum sic loquimur de
 „naturali, fides, charitas, & alia dona
 „sine dubio sunt supernaturalia: ali-
 „quando vero Augustinus vocat natu-
 „rale, quod habet homo in primo statu:
 „porro sic aliquando cum Augustino locutus
 „sui, ut appellarem ea dona naturalia, quæ
 „homo

Sæcul. XVI. „homo habebat ex ordine naturæ a Deo in-
 A.C. 1570. „stitutæ. „

Ad articulum octavum, ubi dicitur: „in redemptis per gratiam Christi
 „nullum inveniri potest bonum meritum,
 „quod non fit gratis indigno colatum,
 „ita respondit Magister Michael Bajus:
 „ego nunquam dixi, quod homo tunc
 „fit indignus, quando gratia ei confer-
 „tetur, sed id asserui considerando statum
 „nostræ corruptionis, in quo antea fuimus,
 „expedit enim hoc semper cogitare,
 „& Deo gratias agere, quod ex illo
 „statu per Christum non solum liberati
 „simus, sed etiam in statum filiorum
 „Dei translati. Sic Apostolus se dicit
 „minimum Apostolorum, indignum, qui
 „vocetur Apostolus, respiciendo statum,
 „in quo antea fuerat.

In articulo quadragesimo quinto tractabatur,
 „quod sacrificium Missæ non alia ratione
 „dicatur sacrificium, quam generaliter,
 „qua ratione quodlibet opus, quod fit,
 „ut sancta societate in hæreamus Deo,
 „sacrificium appellari valet, porro ad hoc
 „respondit Bajus: „Ego hoc nunquam docui,
 „imo ne cogitavi quidem: nec aliud magis
 „doleo, quam quod hoc mihi tam falso
 „imponatur: dixi autem, duobus modis
 „aliquid homini offerri: primo, quando
 „aliquid simpliciter homini dono datur,
 „prout

Sæcul. XVI.

A.C. 1570

„prout offero aliquid, id est, dono ali-
 „cui pomum, nummum, vel aliquid
 „aliud: secundo, quando aliquid ad al-
 „terius honorem, utilitatem, gloriam,
 „vel ad ipsum reficiendum, recrean-
 „dum, vel consolandum, consumitur;
 „prout Maria Magdalena ad glo-
 „riam Christi, & ad ipsum reficiendum,
 „& recreandum effudit pretiosum un-
 „guentum super caput ejus, ex cujus
 „odore tota domus bene redolebat: Ju-
 „das equidem voluit, ut priori modo
 „obtulisset Domino, seu simpliciter Do-
 „mino dono dedisset, & non consump-
 „sisset, ut ex eo venditopotuisset postea
 „aliquid furari, sed ipsa obtulit poste-
 „riori modo, quia consumpsit ad ejus
 „honorem, & gloriam, & sic distin-
 „guuntur oblatio, & Sacrificium, quia
 „quando res, quæ offertur, non im-
 „mutatur, est oblatio, utpote dum in
 „altari offeruntur vinum, poma, uvæ
 „&c. quando vero consumitur res, est
 „Sacrificium, ut cum offerimus incen-
 „sum, & adolemus thus ad Dei glo-
 „riam, & honorem: sic in Sacrificio
 „Missæ, si respicias terminum a quo, vi-
 „delicet panem, & vinum, quæ Deo
 „offeruntur, est oblatio, sive munus,
 „& donum, quæ Deo offeruntur: unde
 „dicitur in Canone Missæ: hæc dona,
 „hæc munera: si vero respicias termi-
 „num

Sæcul. XVI.
A.C. 1570

„num ad quem, videlicet Corpus, &
„Sanguinem Christi, in quæ panis, &
„vinum transmutantur, est proprie di-
„ctum Sacrificium, & vero nomine pro-
„pitiatorium, quia offertur is, qui est
„propitiatio pro peccatis nostris: si ve-
„ro loquimur generaliter de Sacrificio,
„quatenus id dicitur Sacrificium, quod
„fit, ut sancta Societate inhæreatur
„Deo, sic respiciendo ipsam actionem,
„etiam vere dicitur generali ratione
„Sacrificium, quia est opus ad hono-
„rem Dei factum, ut ei sancta Societate
„inhæreatur. „

Circa charitatem, de qua agitur in
trigesimo primo, trigesimo secundo, &
sexagesimo septimo articulo (*) Bajus
affirmabat, se non errasse, nisi forte in
eo, quod juxta methodum in Scholis
usitatam locutus non fuisset. His ad-
didit: „ Quod in Catechumenis fit
„bona voluntas, dilectio, amor, apud
„omnes est extra controversiam: sed
„difficultas ex eo nascitur, quod non
„distinxi inter bonam voluntatem,
„& charitatem, secundum consuetum
„modum loquendi Scholæ charitas enim
„a Schola non aliter accipitur, quam
„quo-

(*) Vide hæc propositiones in Pontificis
diplomate, quod retulimus in Lib. CLXX.
§. XXXIV. & seq.

„quomodo Paulus accipit, i. ad Ti- Sæcul. XVI.
 „moth. i. charitas de corde puro &c. A. C. 1570.
 „hoc est, de charitate perfecta, quæ
 „est actus, vel habitus, quem opera-
 „tur spiritus inhabitans, & propitius.
 „Et talis charitas non est in eis, qui
 „nondum habent remissionem peccato-
 „rum: habent quidem dilectionem, quæ
 „incipiunt Deum amare, ut loquitur
 „Concilium Tridentinum, habent bo-
 „nam voluntatem, amorem, & inchoa-
 „tam charitatem, licet nondum per-
 „fectam. Augustinus quodam in loco
 „inter ista non distinguit, sed dicit bo-
 „nam voluntatem, dilectionem, amo-
 „rem, & charitatem in Scripturis in-
 „differenter accipi: peccatum est igitur
 „in eo, quod secutus Augustinum non
 „servaverim consuetum usum loquendi
 „Scholæ.

Circa articulum duodecimum, ubi
 dicitur: *Pelagii sententia est; opus bonum
 citra gratiam adoptionis factum, non est
 Regni cælestis meritorium*, sic mentem suam
 declaravit Michael Bajus: „ego semel
 „tantum, ut puto, id dixi esse Pelagia-
 „num, aut sententiam Pelagii: porro
 „hoc enuntiavi, non quasi vellem in-
 „nuere, quod hoc sit hæreticum, sicut
 „Collectores hoc forsitan intelligunt:
 „sed dixi, quod Pelagius istud senserit,
 „nec addidi, quod in eo male senserit:
 „*Hist. Eccles. Tom. XLVIII.* Mm „sic-

Sæcul. XVI.

A.C. 1570.

„sicut Augustinus contra Julianum, ubi
 „agit de multiplici sanctificatione, tra-
 „ctans illud Apostoli 1. Corinth. 7. nunc
 „autem filii vestri sancti sunt, citat unum
 „Commentarium ex sensu, quem ha-
 „bet Pelagius, qui tamen verus, & bo-
 „nus est, non sic intelligens, hoc est
 „Pelagii, id est hæreticum; sed Pe-
 „lagius sic sentit: hoc igitur non est
 „bene intellectum, vel est nimis odiose,
 „& dure dictum.„

Ad articulum decimum nonum, in
 quo legitur: *opera, quæ Christus fecit,
 non habere majorem valorem ex dignitate
 Christi operantis*, ita dixit: „hoc falsum
 „est, & recte damnatum, & ego sem-
 „per docui, quod opera bona, quæ
 „Christus fecit, ex dignitate tantæ per-
 „sonæ infiniti sint valoris.

Ad articulum trigessimum, qui ita
 sonat: *Non solum fures ii sunt, & latro-
 nes, qui Christum, viam, & ostium veri-
 tatis, & vitæ negant &c.* inquit Bajus:
 „hoc verum est: sed additur aliquid,
 „quod non debet adjectum esse, nec in
 „meo libro invenitur, videlicet, quod
 „liberum arbitrium absque Dei adjuto-
 „rio non valeat ad resistendum ulli ten-
 „tationi, sic ut in eam non inducatur,
 „vel non ab ea superetur: hoc falsum est,
 „quia liberum arbitrium absque gratia
 „Christi potest alicui tentationi resistere,
 „nam

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

„nam possumus superare tentationem
„libidinis per agriculturam, vel per
„ambitionem, videlicet, unum vitium
„per aliud, aut per aliquod aliud opus
„naturale: sicut dicit Augustinus l. 21.
„de civit. Dei c. 16. *occultis vitiis scæpe*
„aperte vinci, & superari hominem.

§. XXVI.

*Hæc explicatio altera die a Bajo
continuata.*

Die decima nona Aprilis Bajus, ut *Op. Baji*
cæptam materiam prosequeretur, *t. 2. p. 144.*
præsentibus iisdem Auditoribus con-
fessendit suggestum, atque hæc declara-
vit: „siquam unquam habuimus inter
„nos turbationem, curavi, quantum
„potui, ne veniret in publicum: quia
„vitiosum est, quod de Herode in Evan-
„gelio dicitur, turbatus est Rex, & om-
„nis Jerosolyma cum eo: & nisi, ut dixi,
„quibusdam visum fuisset expedire, ea
„de re non nihil dicere, maluissem cum
„mei nominis honore tacere. Articuli,
„qui sequuntur fere omnes falsi, & recte
„damnantur; sed ad me non pertinent.
„Definitiva hæc sententia, Deum ho-
„mini nihil impossibile præcepisse falso
„tribuitur Augustino, cum Pelagii sit,
„Artic. 52. 53. per illud conabatur
„Pelagius excludere peccatum origi-
„nale,

M m 2

Sæcul. XVI. „nale, & in eo sententia optime dam-
A.C. 1570. „natur. „

Id, quod in hoc articulo quinquagesimo tertio dicitur: *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualem nunc nascitur*: „est absolute falsum, sed „potest dici, quod, si talem creasset, „non creasset peccatorem, quia talis „fuiisset ex Dei ordinatione, quod autem „nunc tales sumus, nobis imputatur „recte in peccatum, quia contra eius „ordinationem tales sumus, sicuti si cui „Deus ordinasset habere plures uxores „non esset illi peccatum: si tamen alius „sine speciali dispensatione contra eius „ordinationem vellet etiam plures habere, sine dubio peccaret.

Ad articulum quinquagesimum quintum, ubi agitur de duplici vivificatione Bajus ait: „optime hæc damnantur, „estque bona distinctio, atque in Scripturis sacris satis fundata: nam prima „vivificatio est, quando cor immutatur „sic dicit Augustinus, qui peccata confitetur, vivit: litera occidit, spiritus „vivificat: quia litera non facit legi obedire, quod facit Spiritus. Altera vivificatio est, quam operatur vel baptismus, vel absolutio. Etiam addicitur: vivificabit mortalia corpora nostra propter inhabitantem spiritum. „Ter-

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

„Tertio die vivificabit, uti in Adam om-
 „nes moriuntur, ita in Christo omnes
 „vivificabuntur, videlicet in extremo
 „judicio: similiter & illa distinctio du-
 „plicis justitiæ &c. est optima, & ideo,
 „qui improbant illam, recte damnantur:
 „quia aperte repugnant Augustino, epi-
 „stola. 105. v. 106. De cetero illam
 „quæstionem, an non nisi Pelagiano errore
 „admitti possit usus aliquis liberi ar-
 „bitrii bonus, sive non malus, &c. sol-
 „vit eleganter Cœlestinus Papa in epi-
 „stola ad Episcopos Galliæ cap. 7.
 „Hæc assertio, qua enuntiatur, quod
 „Infidelitas pure negativa in his,
 „quibus Christus non est prædicatus,
 „peccatum sit, falsa est, & contra Evan-
 „gelium, nam ibi dicitur: si non venis-
 „sem, peccatum non haberent: sed est
 „illis peccatum, quod non credunt in
 „unum Deum, Creatorem Cœli, &
 „terræ, cum illis hoc tota mundi fabrica
 „prædicet, & doceat. Dein id, Justifica-
 „tio impii fit formaliter per obedientiam
 „legis, non autem per occultam com-
 „municationem, & inspirationem gra-
 „tiæ, &c. utrumque autem est spiritus
 „inhabitans, per quem primo fit justus
 „in habitu: deinde opera bona requi-
 „runtur, per quæ fit bonus in actu:
 „præterea hoc, quod homo existens in
 „peccato mortali sive in reatu æternæ

Mm 3

„dara-

Sæcul. XVI.

A.C. 1570

„damnationis possit habere veram cha-
 „ritatem, & charitas etiam perfecta
 „possit consistere cum reatu æternæ dam-
 „nationis, falsum est, & contra Scri-
 „pturam, nam perfecta charitas foras
 „mittit timorem, qui autem est in reatu,
 „non potest non timere: insuper id, quod
 „tunc, quamdiu aliquid concupiscentie
 „carnalis in diligente est, is non facit
 „præceptum: diliges Dominum Deum
 „tuum ex toto corde tuo, absolute fal-
 „sum est, nam si diceretur, non facit
 „totum, quod in præcepto est, verum
 „dixisset, sed non propterea dici pot-
 „est: non facit mandatum. Item hæc
 „propositio, quod immortalitas primi
 „hominis &c. fuerit magna gratia, sed
 „non per Christum facta, falsa est Do-
 „ctorum sententia: præterea an pri-
 „mus homo potuisset a Deo creari, vel
 „institui sine iustitia naturali, circa hæc
 „multum laboravi, priusquam intelli-
 „gerem, quid sibi hæc sententia velit.
 „S. Thomas quidem dicit: *in prima gra-*
 „*tia*, sed illa distinguitur a iustitia natu-
 „rali: disputare autem de Dei poten-
 „tia, non est utile, nam potuisset Deus
 „creare hominem stupidum sine iustitia.

Postquam igitur Bajus mentem
 suam circa hosce articulos exposuerat,
 tandem hæc fatebatur: „ego aliquando
 „disputavi in alteram partem certo de-
 „fini-

„finitam, & difficultates haud suetas
 „aliquando tractavi, & contra modum, Sæcul. XVI.
 „& usum loquendi in schola consuetum A.C. 1570.
 „locutus fui: ast nunc doleo, quod hoc
 „fecerim, & si scivissem per hoc ali-
 „quem turbatum, aut offensum iri, ab-
 „stinuissem: sicut nunc edoctus factu-
 „rus sum: porro quod reliquos articu-
 „los attinet, vel eos non docui, aut
 „male sunt collecti, seu non in eo sensu
 „intellecti, quem intendi: insuper ma-
 „ximum desuper dolorem concipio, quod
 „multi articuli ex quadraginta præter
 „male collectos mihi imputentur, de
 „quibus ne cogitaveram unquam: præ-
 „terea doleo, quod multi sibi persua-
 „deant, omnes istos articulos, qui in
 „hac Pii V. Bulla damnantur, esse fal-
 „sos, & hæreticos: cum tamen aliqui
 „falsi esse non possint, sed damnentur
 „tantum, quia offensivi sunt, & scan-
 „dalosi, seu odiosi, ut in Bulla dicitur:
 „sic erim ibi habetur: damnantur tan-
 „quam respective erronei, hæretici,
 „scandalosi, vel piarum aurium offen-
 „sivi, quamquam nonnulli sint, qui
 „juxta sensum ab assertoribus intentum
 „veri sint: necnon Reverendissimus
 „Busco-Ducensis Episcopus Sonnius,
 „qui eo tempore erat Romæ, quando
 „Catalogus librorum prohibitorum col-
 „ligebatur, mihi dixit, multos libros

Sæcul. XVI. „prohiberi, & damnari, non ex
 A.C. 1670.

„eo, quod sint hæretici, sed propter
 „aliquam novitatem offensivi, & scan-
 „dalosi: sicut solet alicubi moris esse, ut
 „publice in templo disputetur aliqua
 „quæstio in concione, quod tamen, ne
 „rei novitate turbetur populus, Romæ
 „prohibitum est in ordinationibus: por-
 „ro, si quædam non satis recte expli-
 „cui, aut nimis obscure pronuntiari,
 „propterea non insimulandus venio hæ-
 „reseos, quia aliud est ignorare, aliud
 „hæreticum esse: prout quidam me ma-
 „le intellexerat, postquam vero ei sen-
 „tentiam meam explicui, consensit il-
 „le, & fassus est se antea nunquam me
 „intellexisse, precatusque est veniam,
 „siquid durius aliquando in me dixis-
 „set: ejus testimonium adhuc domi in
 „scripto habeo. „

„Hæc nunc est mea apud vos excu-
 „satio, si tamen excusatione sit opus,
 „quam puto sufficere: hanc mecum fe-
 „ram non solum in charta, sed etiam
 „coram Judice Deo in memoria mea,
 „ergo vivamus in pace, & abstinea-
 „mus ab his, quæ vel nos, vel alios
 „perturbare possint. „

§. XXVII.

*Baji hostes hac apologia parum con-
 tenti, atque ad Albæ Ducem re-
 currentes.*

Hæc

Hæc Baji declaratio minime sedabat animos, nec illum a suis erroribus vindicabat: haud immerito enim omnes probos offendebat temeritas, qua afferere audebat, sibi criminis loco imputari, quod usitato in Scholis loquendi modo Sanctorum Patrum verba prætulerit. Redarguebatur etiam, quod sacram Sedem insimularit, perinde ac si præcipiti consilio iudicium pronuntiasset, atque ex ejus articulis plures in sensu ab ipsius mente alieno proscripsisset, eosque, quamvis in se ipsis, atque in obvia verborum intelligentia omnino veri essent, damnasset; verum cum ejusmodi objurgationes parum Baji animum ad saniora commoverent, hinc illorum plurimi, qui eidem conversabantur, contra eum querebantur apud Albæ Ducem tum Belgii Governatorem, qui Michaeli Bajo aliunde insensus eum tanquam Virum suis opinionibus nimis pertinaciter inhærentem abominabatur: huic igitur insinuabant, a Bajo Pontificiæ Constitutioni, qua ejus errores fuerant proscripti, impune morem non geri eo obtentu, quod ista Constitutio non solemniter fuisset promulgata, sed duntaxat privatis in ædibus Doctoris Ravesteinii Tiletani coram aliquot Theologis Doctoribus prælecta, ideo Baji æmuli institerunt apud

Sæcul. XVI.
A. C. 1570.

Op. Baji t.
2. p. 200.

Mm 5

Du

Sæcul XVI.
A.C. 1570.
Ducem, ut præfata Constitutio in publicis Lovaniensis Academiæ scholis promulgaretur, eique subscribere cogèrentur Michael Bajus, ceterique omnes Sacræ Theologiæ Magistri.

§. XXVIII.

Concilii Mechliniensis Episcopi datis literis ab Albæ Duce ad recipiendam Bullam sollicitati.

Bajana p.
200.

Cum tum Episcopi in Concilio Mechliniensi una congregati essent, Albæ Dux ad eos hac de re perscripsit, urgens, ut Pii V. Bulla adversus septuaginta sex articulos lata solemniter publicaretur Lovanii, ac ei ab omnibus subscriberetur Lovaniensis Academiæ Theologis, Doctoribus, & Professoribus. Id se præstituros Duci Albano polliciti sunt Præsules, ut igitur datam fidem suam liberarent, decreverunt, Lovanium denuo mittendum esse eundem Morillonium, qui Pii V. Constitutionem ibi publicam redderet, eamque more magis solemniter promulgaret, ac Theologos induceret, ut eidem subscriberent.

§. XXIX.

Episcopi a Concilio ad Bajum deputati.

Id antequam exequerentur, visum est
 istius Synodi Patribus, conducens,
 ut ex ipsis duo, nimirum Martinus Ri-
 thovius, & Cornelius Jansenius, Epi-
 scopus Gandavenfis, istud Synodi propo-
 situm communicarent Michaeli Bajo,
 qui Sacrae Facultatis Lovaniensis erat
 Senior. Illi itaque venerunt Lovanium, ac
 Bajum accedentes cum eo conferebant,
 illique Concilii mandata exponebant,
 verum ille genuina animi sui sensa do-
 lose dissimulans verbis pollicebatur, quod
 pacis studiosus lubenter Synodi man-
 datis acquiesceret, seque ejus decisioni-
 bus subjiceret, *dummodo veritas per eas*
non laederetur: itaque ambo Episcopi,
 quin clausulam adeo captiosam ani-
 madverterent, hoc responso contenti
 recesserunt, ac Duci Albano promptum
 ad obediendum testificati sunt Michae-
 lis Baji animum, quod Ducem sum-
 mopere mitigavit.

Postea Deputati Bruxellis Mechli-
 niam delati ibidem legationis suae suc-
 cessum exponebant, moxque ad eorum
 relationem Morillonius Vicarius Gene-
 ralis Lovanium mittebatur, ubi etiam
 die decima sexta Novembris advenerat.
 Hic idem in pleno Theologorum con-
 fessu Pii V. Rescriptum, seu Bullam in
 Scholis publicis ritu solemniter promulga-
 vit, nullo tamen istius Bullae exemplo
 reli-

Sæcul. XVI.

A.C. 1570.

Op. Baji p.
201.

Sæcul. XVI. relicto: institit tamen, ut Theologiae
A.C. 1570. Magistri huic Censuræ subscriberent:
 infuper petiit ab omnibus Theologis, ut
 Literis Apostolicis ab ipso prolatis vel-
 lent obtemperare, qui omnes ad id se esse
 paratos clamaverunt, sed de subscri-
 ptione cuncti filuerunt. Eodem die, ad
 Vesperam Rector, incio Decano P. Bal-
 thasare Textore Ordinis Prædicatorum
 alumno, facultatis Bedellum privata sua
 auctoritate misit ad singulos Doctores
 Theologos cum formula sequenti, quam
 ipsis subscribendam exhibuit: „ Nos
 „ Rector, Decanus, ac Theologiæ Pro-
 „ fessores in Lovaniensi Universitate sub-
 „ scribimus, ac profitemur, nos reve-
 „ renter amplecti resolutionem Sacræ
 „ Sedis Apostolicæ in propositis articu-
 „ lis juxta ejus Bullam Kalendis Octo-
 „ bris anno millesimo quingentesimo se-
 „ xagesimo septimo desuper editam, &
 „ in disputationibus, lectionibus publi-
 „ cis, omnibusque resolutionibus senten-
 „ tiam nostram illi per omnia accommo-
 „ daturos, & conformem reddituros, in
 „ cujus rei fidem hic nomina, & cog-
 „ nomina nostra subscripsimus. „ Die de-
 cima sexta Novembris Anno millesimo
 quingentesimo septuagesimo.

§. XXX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

*Facultatis repugnantia contra hanc
subscriptionem.*

Quamprimum hæc formula Balthafari
Textori Decano exhibita est, ut ei
subscriberet, ipse hujusmodi subscriptio-
ni strenuus se opposuit, ac postridie
Facultati Theologicæ in majori Colle-
gio convocatæ declaravit, istius for-
mulæ subscriptionem a Theologis exi-
gi. Hoc audito, sacra facultas ita re-
spondit: „Præprimis postulamus ex-
emplum Bullæ, ut plenius intelligere
valeamus, quomodo nos debeamus
circa has censuras gerere: dein quod
subscriptionem attinet, nos existima-
mus, quod per solemnem Bullæ pro-
mulgationem sit satisfactum menti E-
piscoporum Synodi Mechliniensis: si
vero eadem justis de causis nos ad
subscribendum compellere valeat, hæc
rationes exponat, tum nos quo-
que absque tergiversatione cedere vo-
lumus, prius vero nunquam nostra
nomina apponemus. „ Hanc repulsam
indignatus Morillonius discessit, vix au-
tem abierat, cum illico rumor sparge-
retur, quod Morillonius ex proprio suo
arbitrio absque ullo Synodi mandato
hanc Bullam Doctoribus exhibuerit,
atque ab eis novam subscriptionem sub-
emen-

*Ex alt. Fa-
cult. Lovan.
an. 1515. us-
que ad ann.
1572.*

Sæcul. XVI. ementito Episcoporum nomine postula-
A.C. 1570. verit, re tamen ipsa horum Doctorum
 subscriptionem petierit, ut verosimili-
 ratione illos accusare possit, perinde ac si
 ex hisce damnatis articulis quosdam
 propugnassent, etiam postquam Pontifi-
 cis diplomate fuerant proscripti.

Hujusmodi sermones ubi pervene-
 rant ad Morillonium, hic quantocius
 Martino Rythovio Yprensi Episcopo,
 necnon Cornelio Jansenio Gandaven-
 si Antistiti datis literis significabat, quam
 moleste ferret, suspicionem hanc de
 ipso haberi, unde illos, ut ejus inno-
 centiam vindicarent, rogabat, potissi-
 mum vero hoc nomine, quod ipsemet hanc
 legationem, quæ falsi hujus rumoris an-
 sam præbebat, eidem demandassent.
 Itaque attentis hujus Prælati querelis
 ambo Præsules communi nomine ad
 Sacram Facultatem Theologicam Lo-
 vaniensem die vigesima tertia Decem-
 bris his verbis perscripserunt.

§. XXXI.

*Utriusque Episcopi Yprensis, &
 Gandavenfis epistola pro vindicando
 Morillonio.*

*Bajana p.
 149. & 186.*

„Literis suis nobis exposuit Genera-
 „lis Vicarius Morillonius, quod
 „apud vestras dominationes accusetur,
 „ac si is privato facto suo alienum no-
 „men

Sæcul. XVI.
A. C. 1570.

„men prætexere voluerit, dum nuper
 „tanquam ex commissione eorum Pa-
 „trum, qui Mechliniæ Provincialis con-
 „cilii causa congregati erant, in Scho-
 „lis Theologicis publicationem fecit
 „ejus Rescripti Apostolici, quod de qui-
 „busdam propositionibus ad se missum
 „acceperat, a qua igitur suspicione ve-
 „hementer liberari cupit: nos vero in-
 „genue fatemur, hanc commissionem
 „ei datam fuisse, eoquod fidem nostram
 „apud Ducem Albanum, cui id ante
 „menses aliquot promiseramus, liberare
 „vellemus, atque insuper res antea qui-
 „dem solis sacræ Facultatis Theologicæ
 „Magistris indicata, & ut tum speraba-
 „tur, silentio premenda, jam longe,
 „lateque innotuisset, & non pauci ob-
 „loquerentur, & ægre ferrent, non pro-
 „poni publice, quod omnes ex æquo
 „concerneret, atque censurarum com-
 „minationem conjunctam haberet: un-
 „de nobis videbatur occultatio ultra
 „cetera incommoda etiam Facultati in-
 „dignationem, & mali nominis pericu-
 „lum allatura: approbationem autem,
 „& subscriptionem existimamus nihil
 „difficultatis habituram esse, nam cum
 „solemne sit sacræ Theologiæ Professo-
 „ribus in omni resolutione difficiliori
 „promittere apertam protestationem o-
 „bedientiæ erga eos, quorum est erran-
 „tes

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

„tes in viam veritatis reducere, quid
„promptius erat, quam ut summi Pon-
„tificis etiam iteratæ definitioni acqui-
„esceretur: præsertim dum satis con-
„staret, eos, qui occasionem quærere
„dicuntur, dilationem interpretaturos
„esse pro recusatione, & inde tradu-
„cendi majorem occasionem acce-
„pturos. Accedit, quod eximio Do-
„mino Magistro nostro Michaeli Facul-
„tatis Seniori hæc tota res antea fue-
„rit communicata, & inde relata ad
„suam Excellentiam, cui sic placuit,
„ut conceptam indignationem pro ma-
„xima parte ei exemerit: insuper placuit,
„& Præsidi Viglio: Patribus autem,
„quorum consilio Lovanium venera-
„mus, imprimis Reverendissimis Domi-
„nis, Archiepiscopo Cameracensi piæ
„memoriæ, & Episcopo Atrebatensi,
„usque adeo grata fuit, ut nos optimam
„operam navasse testarentur: quod igi-
„tur tanto applausu ab omnibus proba-
„tum fuit, nescimus, an sine gravi causâ
„possit omitti. Dominus Morillonius
„scribit, quosdam esse, qui ex subscri-
„ptione æstimant relapsus insidias ali-
„cui strui posse, & ob id tardiores esse
„ad subscribendum. Nos vero ne la-
„psum quidem agnoscendum jam puta-
„mus, si bona fide probetur, & in sig-
„num candidioris mentis etiam sub-
„scri-

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

„scriptione corroboretur decisio suæ San-
„ctitatis, ad cujus sententiam, & defi-
„nitionem ex more Lovaniensis Scholæ
„semper omnia referunt. Proinde nisi
„aliis, & gravioribus de causis domi-
„nationes vestræ moveantur, rogamus,
„ut id, quod tantorum virorum iudicio ad
„sopiendam odiosissimam causam visum
„fuit utilissimum, & tam concorditer
„decretum, non differatur propter va-
„num metum, nostraque monitio ex
„candore animi, & sincero affectu pro-
„cedens boni consulatur. Benignissi-
„mus Deus vestras dominationes con-
„servet nostri memores.

Hæc epistola vix non successu suo
caruisse videtur; quippe nullum subscri-
ptionis factæ vestigium deprehenditur,
nulloque pacto demonstrari valet, quod
Facultas Theologica illis, quæ ab ea
exigebantur, sese subjecerit.

§. XXXII.

*Quidam Religiosorum Ordines a Pio
V. Papa ad pristinam disciplinam
revocati.*

Interea Romæ summus Pontifex benignas præbebat aures Generali Cister-
cientis Ordinis Procuratori, qui inter
hujus Instituti Religiosos in Sicilia quas-
dam morum corruptelas invaluisse re-
ferebat, quapropter Papa illos ad veterem
Hist. Eccles. Tom. XLVIII. Nn dif-

*Bullar. tom.
2. in Pii V.
Constit. 102.
& 104.
Ciacon. vit.
Pontif. t. 3.
p. 1004.*

Sæcul XVI.
A.C. 1570.

disciplinæ rigorem reducturus die octava Martii Constitutionem edidit. Ceterum præfatus Procurator præcipue quebatur, quod Divinum Officium minus decenter persolveretur, ac Monasteria ruinæ proxima essent, quin de iis reparandis sollicitudo haberetur: insuper idem exponebat, quod vota minus religiose servarentur, ac denique religiosorum redditus pro victu necessarii in commendam darentur: cunctos igitur hosce abusus summus Pontifex præfata Constitutione abolebat.

Aliam quoque Bullam die vigesima nona Martii edidit, qua universum Ordinem Servorum Beatæ Virginis, qui vulgo Servitæ Religiosi appellantur, uni eidemque Generali Præposito subiecit. Huic Ordini, qui antea in duos ramos, seu familias dividebatur, numero quintus Generalis præfuit Sanctus Philippus Benitius, nunc vero Pius V. Congregationis titulo, quem hi Religiosi sibi attribuebant, abolito quamplurimas sustulit corruptelas, quæ hujus Ordinis exitium, ac ruinam promovere videbantur.

§. XXXIII.

*In Sancti Caroli sicarios Pontificis
jussu inquisitum.*

Cum

Cum idem Pontifex sicarios, qui necem in Cardinalem Carolum Borromæum moliebantur, debitis pænis plectere decerneret, huic Cardinali præcepit, ut eos, quos hujus criminis suspectos haberet, manifestaret: attamen Carolus duntaxat hæc respondit: „multos abusus in Sacerdotibus, Religiosis, ac laicis corrigere aggressus sum, quos circa plurimos inde fuisse offensos haud miror, validam autem suspicionem de nullo speciatim concipere valeo, id autem duntaxat pro comperto habeo, quod Judices hanc ob rem multos, quos tamen innoxios credo, divexent, ac molestant. „

§. XXXIV.

Nuntius ad inquirendum a Papa Mediolanum missus.

Attamen Papa hoc responso parum contentus Antonio Scarampæ Laudensi Episcopo Sedis Apostolicæ Nuntio injunxit, ut omnem adhiberet diligentiam, quatenus, si fieri posset, tanti sceleris Authores detegerentur. Verum Sanctus Mediolanensis Archiepiscopus vix rem compererat, cum illico dolorem suum inde conceptum testatus nullum non moveret lapidem, ne hæc inquisitio suam sortiretur effectum: quinimo pro reis veniam precatus publico

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

*Giuffan. vis
de S. Char-
les l. 2. cap.
26.*

*Giuff. l. c.
Ciacon. p.
894.*

Sæcul. XVI. scripto declarabat, quod omnino ab
A C. 1570. omni inquisitionis consilio alienus esset.
 Hæc tanti Viri generositas summum
 Pontificem in admirationem rapiebat,
 nec tamen propterea scelus impune re-
 linquendum censebat: itaque Lauden-
 sis Episcopus Mediolanum delatus
 Sanctitatis suæ jussa promulgari, at-
 que affigi præcepit, sub severissimis
 Ecclesiasticarum censurarum pænis in-
 jungens omnibus, & singulis, ut il-
 li, qui de infidiis in Caroli Borro-
 mæi Cardinalis vitam fructis notitiam
 quamdam haberent, reos indicarent.
 Nec vana erat hæc sollicitudo; duo
 enim Humiliatorum Ordinis Præpositi,
 quorum unus hujus sceleris conficius
 erat, alter autem nonnisi de eo sermo-
 nes haberi inaudierat, Nuntium con-
 venire, qui etiam eorum testimonia
 mox excepit: cum autem ferme nihil
 certi ab eis comperire posset, rursus
 illos interrogabat, cum tamen illos in
 suis responsis minus convenire, ac non
 raro sibi invicem repugnantia proferre
 animadverteret, eos reos fore existi-
 mans custodiæ dari præcepit, moxque
 judicii æquitas per propriam captorum
 confessionem comprobata est: ambo
 enim crimen suum fassi alios adhuc quos-
 dam complices prodebant, atque inter
 alios illummet, qui in Cardinalem scelo-
 pe-

petum suum exonerabat. Is erat quidam nomine Farina, qui post patratum scelus ad Sabaudix Ducis ditiones confugerat, ibidemque tanquam gregarius miles stipendia merebatur: ibi cum rerum Mediolani interim gestarum ignarus esset, nequidem de fuga cogitabat: unde missis quantocius, qui eum comprehenderent, brevi Mediolanum abductus est.

§. XXXV.

Rei extremo supplicio Mediolani affecti.

Hac inquisitione Sanctus Cardinalis graviter commotus, ac reorum sortem miseratus Romam ad Ormanettum perscripsit, eumque rogavit, quatenus Papam eo induceret, ut clementia usuris vitæ veniam concederet: verum nullis precibus, nullisque rationibus unquam flecti poterat Pontifex: unde juxta Sacrorum Canonum præcepta tres ex hisce miseris sacro gradu dejecti, & die vigesima octava Julii Anno post Christum natum millesimo quingentesimo septuagesimo laqueo necati sunt, quartus vero nomine Hieronymus Lignanum Vercellensis Præpositus, & alius quidam cum genere nobiles essent, capite plectebantur, sextus vero, ac postremus non nisi ad triremes perpetuo damnabatur; verum Sanctus Præsul tam validis precibus apud summum

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

Giuss. l. c.

Nn 3

Pon-

Sæcul. XVI. Pontificem instabat, ut hæc pœna, in
A.C. 1571. custodiam, qua intra quoddam clau-
 strum includeretur, immutaretur, ac
 sic hic reus pœnitendi spatium obtine-
 ret. Fertur, quod Farina luculenta pœ-
 nitentiæ signa edens obierit, atque ad
 illos, qui eum exauctorabant, dixerit,
 se indigne tam sacrum habitum gestasse,
 eoque spoliari esse promeritum: cum
 vero scalam conscenderet, populum, at-
 que adstantes, obtestabatur, ut pro ob-
 tinenda commissi criminis venia Deum
 exorarent, quem gravissime offendisset,
 in Pastoris tam sancti, atque pro ani-
 marum salute adeo proficui vitam infi-
 dias struendo. Alius ex Præpositis,
 qui capite truncati fuerant, ingentem
 Cardinalis charitatem intelligens eidem
 suam Neptem, quam in summa pauper-
 tate reliquerat, commendabat: cui mox
 Sanctus Archiepiscopus significari iussit,
 se singularem illius curam habiturum,
 quod promissum, & ipse progressu tem-
 poris opere complebat.

§. XXXVI.

*Helvetii Pagi a Sancto Carolo lu-
strati.*

Giuss. c. 26

Peraçto hoc supplicio Sanctus Cardi-
 nalis rursus suæ Diœcesis valles
 Helvetiorum imperio obnoxias lustrare
 aggrediebatur, ut primæ suæ visitatio-
 nis

nis fructus plene colligeret. Absoluto **Sæcul. XVI.**
 pio hoc opere in hanc regionem ultra **A. C. 1570.**
 Germaniæ montes penetrabat, obten-
 dens, quod Sororem suam Comitissam
 Hortensiam, quæ in Althempfiana ar-
 ce morabatur, visum ire vellet, quam-
 vis genuina ejus voluntas eo abiret, ut
 circa plures maximi momenti res reli-
 gionem, atque in tribus suæ Diæ-
 cesis vallibus disciplinæ restauratio-
 nem concernentes cum Helvetiis con-
 ferre posset: itaque sensim omnes Ca-
 tholicos Pagos lustrabat, non sine in-
 genti nominis sui fama, illiusque di-
 tionis Clericos vitæ licentia valde dis-
 solutos, necnon plura monasteria, in
 quibus ægre aliquod strictioris discipli-
 næ Monasticæ vestigium deprehende-
 batur, ad meliorem frugem revoca-
 bat, quamvis vero illidem tanta esset
 morum corruptela, ut Monachi in ipsis
 quoque suis cellis mulierum obsequiis
 uterentur, & in potissimis conventibus
 hospitia erecta essent, in quibus multa
 laxioris vitæ scelera perpetrabantur,
 tanta tamen moderatione, & pruden-
 tia utebatur sanctus Præsul, ut ab omni-
 bus Religiosis, Sacerdotibus sæculari-
 bus, ac laicis Proceribus maximi habe-
 retur, ac tanquam ipsorum Pater co-
 leretur, cunctis ipsum rogantibus, ut
 quicquid ad bonum regimen magis con-
 N n 4 gruum

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

gruum censeret, libere præcipere velit, ac de plena eorum submissione certus esset: unde ipsius sanctiones cum ingenti gaudio exceptæ, ac cum majori adhuc promptitudine effectui fuerunt datæ. Insuper omnia Ecclesiasticam jurisdictionem concernentia componens rectam regiminis formam in tribus hisce vallibus, quæ sacræ ejus jurisdictioni erant subditæ, introducebat.

§. XXXVII.

Pontificis consilium de extirpando Humiliatorum Ordine.

Giuss. c. 27. Summus Pontifex cum illorum, qui necem Sancti Caroli moliebantur, supplicii tantum scelus nondum satis expiatum crederet, de Fratrum Humiliatorum Ordine penitus extirpando consilia agitabat, quamvis Hispaniæ Proceres sibi obstituros prævideret: præprimis ergo Sacrum Purpuratorum Collegium, ne in re tanti momenti inconsideratum quicquam aggredere-
tur, convocabat, eorumque sententias desuper exquirebat. Verum vix hoc Pontificis consilium Mediolani innotuerat, cum illico Sancti Caroli patrocinium imploraretur, quatenus hic funestum hunc eventum præpedire vellet; itaque ex ipsius consilio decretum, Romanam Generalem hujus Ordinis Præpositum

fitum esse ablegandum, atque ab eo, quod omnem reformationis normam pro Pontificis arbitrio acceptare paratus sit, illi promittendum, hancque in rem ab ipsa etiam urbe ad Papam literas esse dandas, quibus etiam suas jungeret Sanctus Archiepiscopus, facta summo Pontifici fide, quod hi Religiosi sine ulla repugnantia ad recipienda strictioris disciplinæ præcepta sese promptissimos exhiberent.

Sæcul. XVI.

A.C. 1570.

§. XXXVIII.

Hic Ordo a summo Pontifice penitus suppressus.

Generalis Præpositus Romam delatus ad Pii V. Pontificis pedes prostratus est, ac ibidem lacrimis ubertim profusus eidem Cardinalis, urbisque literas porrexit, supplex, ut erga ipsius Ordinem clementia uteretur, facta spe, quod imposterum una omnes sincere, ac constanter ad Instituti sui præscripta mores suos componere velint. Verum Pius V. flecti nescius eidem hæc respondit: „criminis a tuo Ordine commissi „atrocitas, atque exigua emendationis „vitæ spes, quam tui Religiosi reliquam „faciunt, indulgenter vobiscum agere „prohibent, hinc decreta est vestri Ordinis extinctio. „ Itaque firmus in suo proposito Pontifex pluribus dilaudata

Giuff. l. 6.

Ciacon. p.

894.

Thu. 1. 50.

Bullar. t. 2.

Constit. 119.

Pii V. fol.

168.

N n 5

Sancti

Sæcul. XVI. Sancti Cardinalis charitate, ac Mediolanensium pietate. Sacrum Purpuratorum Senatum habuit, suaque auctoritate Apostolica Humiliatorum Ordinem penitus suppressit. Tum hic Ordo, qui olim nonaginta quatuor Monasteria recenserebat, non nisi centum septuaginta quatuor Religiosos complectebatur, plures enim erant Præposituræ, quarum cunctis proventibus solus Præpositus fruebatur. Perficiebatur hæc extirpatione bino diplomate, quorum unum septima, alterum octava Februarii die anno sequenti millesimo quingentesimo septuagesimo primo promulgabatur.

§. XXXIX.

Monasteria, atque horum Religiosorum redditus in alios usus impensi.

Giuss. c. 27. Postea præcepit summus Pontifex, ut Generalis Præpositus, Superiores, totusque Ordo penitus abolerentur, illi vero centum septuaginta quatuor Religiosi, qui supererant, ad ædes ipsis assignatas sese reciperent, ibidemque sub Ordinariorum jurisdictione vitam instituto suo consonam ducerent, Novitii autem e monasteriis dimitterentur: professis denique Senioribus, ne quempiam in posterum ad suum Ordinem reciperent, inhibuit, ac beneficia distribuendi jus sibi reservavit: postquam

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

quam igitur Sanctus Carolus diploma, quo hic Ordo supprimeretur, jamjam promulgatum esse intellexerat, ex suis nobilioribus Domesticis quemdam Romanam ablegabat, qui Romano Pontifici supplicaret, quatenus ipsi pro suis Collegiis, ac Seminariis, eorumque sustentatione quædam horum Regularium monasteria unacum eorum redditibus concedere vellet. Annuit Pius V, ac Borromæo concessit I. Ecclesiam, & Conventum de Brera, in quo Jesuitarum Collegium, & publicas Scholas erexit. II. Ædes Sancti Joannis ad Portam Orientalem, ad quas Carolus amplum suum Seminarium transtulit. III. Canoniam ad portam novam, quæ pro juvenum Clericorum Seminario destinabatur. IV. Conventum Sanctæ Mariæ ad eandem portam, ubi Collegium Nobilium fuit stabilitum. V. Monasterium Sancti Spiritus pro Collegio Helvetiorum, ubi tamen hodie Virginum asceterium est, præfatum enim Collegium aliorum fuit translatum.

§. XL.

Sexdecim Cardinales a Pio V. creati.

Die decima septima Maji hoc anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo Pius V. sexdecim Cardinales, atque ex his quindecim Presbyteros,

Ciacon. vit.

Pontif. t. 3.

p. 1038.

ROS,

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

ros, & unum Diaconum creavit. Horum primus erat Marcus Antonius Mafæus patria Romanus, Theatinus Archipræful, qui titulum Sancti Calisti obtinuit. Alter erat Casparus de Zuniga natione Hispanus, Segovienfis Episcopus, postea Hispalensis Archiepiscopus, Cardinalis titulo Sanctæ Barbaræ. Tertius, Casparus Cervantes item Hispanus, Messanenfis, postea Salernitanus, & Tarraconensis Archipræful, qui titulum Sancti Martini ad Montes optabat. Quartus, Nicolaus Pellevius, Gallus, Senonensis, ac demum Rhemensis Archipræful, qui primo ad titulum Sanctorum Joannis, & Pauli, & postea ad illum Sanctæ Praxedis vocabatur. Quintus, Julius Antonius Sanctorius Casertanus ex Terra-Laboris in Neapolis Regno oriundus, primo Sanseverinatum Archiepiscopus, dein Cardinalis titulo Sanctæ Barbaræ, Major Pœnitentiarius, & Episcopus Prænestinus. Sextus, Petrus Donatus Cæsius Romanus Narniensis Præful tit. Sancti Vitalis. Septimus, Carolus de Grassis, Bononiensis, Romanæ Urbis Gubernator, Cardinalis tit. Sanctæ Euphemie. Octavus, Carolus de Angennes Rambuilletus natione Gallus, Cænonanensis Antistes, titulo Sancti Hieronymi. Nonus, Archangelus Bianchi,

Sæcul XVI.
A.C. 1570.

ancho, Italus, Theologus ex Ordine Fratrum Prædicatorum, Theanensis Episcopus titulo Sancti Cæsarii. Decimus, Felix Perettus Italus, supremus Minister generalis Ordinis Sancti Francisci, Episcopus Agathensis, & Firmianus titulo Sancti Simeonis, qui postea in Papam electus nomen Sixti V. assumpsit. Undecimus, Paulus Aretius, Italus, Placentinus Antistes, postea Archiepiscopus Neapolitanus, Cardinalis tit. Sanctæ Pudentianæ. Duodecimus, Joannes Aldobrandinus, Italus, Papæ Clementis VIII. Frater Imolensis Episcopus tit. Sancti Simeonis. Decimus tertius Vincentius Justiniani Genuensis, supremus generalis Magister Fratrum Prædicatorum titulo Sancti Nicolai, postea Sanctæ Sabinæ. Decimus quartus, Hieronymus Rusticuccius, Italus, qui Pio V. ab epistolis erat, demum Cardinalis Presbyter titulo Sanctæ Sufannæ Episcopus Senogalliensis, Papæ Vicarius, & Albanensis Episcopus. Decimus quintus, Judas Aquaviva Arragonensis ex Atrienfium Ducum genere ortus, Cardinalis Diaconus titulo Sancti Theodori. Denique decimus sextus Joannes Hieronymus Albanus, Bergamensis titulo Sancti Joannis ante portam Latinam.

§. XLI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

§. XLI.

Burdaferii Cardinalis obitus.

*Clacon. t. 3.
pag. 928.
Aubery hist.
des Cardin.
Frizon Gal-
lia Purpu-
rata San-
marthan.
Gall. Chri-
stiana.*

Hoc anno quinque numerantur Car-
dinales vita functi, ex quibus pri-
mus erat Philibertus Babou de Bur-
daferiis, qui Romæ die quinta Januarii
obiit, dum ibidem Legatione pro Gal-
liarum Rege fungeretur. Hic tertio ge-
nitus erat Filius Philiberti Babou Bur-
daferii, qui Regi a secretis, Thesaurar-
ius, Regii ærarii Præfectus, necnon
apud Reginam Eleonoram rei domesti-
cæ Curator erat, insuper regii Palatii
Magisterio, ac secretioris Consilii
munere augebatur, demum vero Ma-
riæ Gaudin nobili foeminæ ex eadem
Burdaferiorum familia desponsatus
obiit. Illius Filius Philibertus Cardi-
nalis Anno Salutis nostræ millesimo
quingentesimo decimo nono natus, per-
acto literarum studio in Parisiensi Uni-
versitate Doctoratus laurea decoratus
est, ac primo Engolismensis Episcopus,
postea autem mortuo Jacobo ejus Fra-
tre, necnon defuncto Cardinale Lenon-
curtio Anno Incarnationis Dominicæ
millesimo quingentesimo sexagesimo ter-
tio Antisiodorensis Ecclesiam rexit,
simulque fuit a sanctoribus consiliis
Henrico II., qui miram hujus Viri in re-
bus gerendis dexteritatem admiratus
ipsum

Sæcul. XVI.
A. C. 1570.

ipsum sub Pauli IV. Pontificatu Romam Legatum decernebat, quo etiam munere post Henrici II. obitum sub Francisco II. & Carolo IX. functus est, cuius etiam obsequiis Carolus tantopere sibi satisfactum censebat, ut Cardinalitiam purpuram pro eo a Pio IV. precaretur, quam etiam Anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo ab eodem Papa obtinuit. Ceterum hic Cardinalis egregiam apud eundem Regem navabat operam, ut nationale Concilium præpediretur; tandem vero obiit Romæ sepultus in Ecclesia sancti Ludovici, ubi hodie eum ejus monumentum, ac sepulchralis inscriptio visitur. Is idem dum Engolismensi Ecclesiæ præerat, per viginti ferme annos atrociam perpeffus est a Calvinistis, qui hanc Provinciam fæde devastantes universam Engolismensem ditionem suis crudelitibus, qua late patet, emetiebantur: ipse vero, quantum poterat, suum gregem ab eorum erroribus illæsum servabat.

§. XLII.

Marci Antonii Amulii Cardinalis fata.

Alter erat Marcus Antonius Amulius *Ciacon. l. c. pag. 924.*
Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo quinto ex illustri Venetorum *Aubery l. c.*
familia

Sæc. XVI.
A.C. 1570.

*Ughel de
Episc. Reu-
tiniff.
Victorel hist.
Venet.*

familia natus, qui ob singularem civi-
lium rerum peritiam, doctrinam, ac
profundam jurisprudentiæ scientiam ad
varia negotia a Republica adhibebatur,
ab eaque inter alia munia Veronenſi
Præfectura auctus ad Carolum V. Phi-
lippum II. & Pium IV. Papam Orator est
ablegatus, ubi hujus summi Pontificis
benevolentiam adeo feliciter sibi pro-
meruerat, ut Amulio haud prius con-
sulto ferme nihil aggredereſſetur, illumque
ad præcipuos Ecclesiæ honores digne
obeundos natum existimans primo Ve-
ronensem Episcopatum eidem contulit:
cum autem Oratores Veneti ex anti-
quissimis Reipublicæ legibus ullam di-
gnitatem acceptare, aut quoddam be-
neficio ab exteris Principibus absque
Senatus consensu recipere prohiberen-
tur, hinc Amulius Venetorum indi-
gnationem incurrebat, eoquod Veron-
ensem Episcopatum acceptasset, ea-
propter hanc legem violasse accusatus,
a Republica revocatus est, in ejus lo-
cum subrogato Hieronymo Soranzo tan-
quam Veneto apud Papam Legato: ve-
rum ob hanc injuriam Viro tam bene-
merito illatam commotus Pontifex li-
teras proprio chirographo exarratas ad
Senatum dedit, eidem hæc exponens:
„cuncta, quæ in Amulii favorem sanxi,
„ex libera voluntate mea egi, nec hic
„pro

„pro obtinenda hac dignitate vel pedem
 „movit, cum ergo ego omnia ipso in- Sæcul. XVI.
 „scio confecerim, hinc patriæ suæ leges A C. 1570.
 „nequaquam violavit, ideo vos rogo, ut
 „eundem pristinæ dignitati restituatis,
 „ac ulteriori benevolentia honoretis. „
 Obtinuit id, quod petierat Pontifex a
 Senatu, qui non modo Amulium suis
 honoribus reddidit, sed etiam illum ho-
 norifico quingentorum aureorum mu-
 nere auxit.

Anno millesimo quingentesimo sexa-
 gesimo primo Amulius a summo Pon-
 tificè præter omnem expectationem
 suam Cardinalis nominabatur, re au-
 tem comperta is mox veritus, ne Ve-
 netorum Senatum magis irritaret, ho-
 norem sibi a Sede Apostolica oblatum
 recusabat, & nonnisi singulari Papæ man-
 dato inductus purpuram acceptabat, ubi
 id, quod Amulius fore pertimescebat, re-
 ipsa evenit; quippe Respublica Veneta
 id ægerrime ferens, novum hunc Car-
 dinalem tanquam paternarum legum
 violatorem incusabat, atque indignatio-
 nem suam in ipsos etiam illius propinquos
 exerebat, quin Senatus validis Papæ
 sollicitationibus unquam placari volue-
 rit: Amulius tamen propterea ab avito
 patriæ suæ emolumenta procurandi stu-
 dio nihil remisit, ipse autem Papa, ut do-
 lorem damnumque huic Viro a Venetis
 Hist. Eccles. Tom. XLVIII. Oo illa-

Sæcul. XVI illatum refarciret, ipsum paulo post Rea-
A.C. 1570 tinum Episcopum, ac Palatii Apostolici
 Bibliothecarium creabat, eodemque
 tempore ad coercendas Tyberis inun-
 dationes ejus opera seligebatur: præ-
 terea nominabatur, ut exciperet Ab-
 diesu Ordinis sancti Pachomii Mona-
 chum, atque in Indiis Orientalibus Chal-
 dæum Patriarcham, qui cum Roman
 pro obtinendo Pallio peteret, eidem
 Amulius oppido præclara præstitit ob-
 sequia. Postea a Pio IV. unacum Mo-
 rono, & sancti Clementis Cardinale se-
 lectus est, ut conciperet Constitutionem,
 quæ Sedis Apostolicæ Nuntiis prohibe-
 ret, ne commendatitias literas pro ob-
 tinendis dignitatibus Ecclesiasticis a
 Principibus extorquerent. Denique a
 sacro Purpuratorum Collegio tanti ha-
 bebatur, ut in comitiis, in quibus Pius V.
 electus est, & ipsemet interfuit, de ipso
 post mortem Pii IV. in summum Pon-
 tificem creando ageretur: ast electo Pon-
 tifice Pio V. ipse feria secunda die deci-
 ma tertia Martii Anno Salvatoris nostri
 millesimo quingentesimo septuagesimo
 Romæ mortalitatem exiit, annos na-
 tus sexaginta quinque. Corpus ejus
 primo in Hispanæ Nationis Ecclesia ad
 sanctum Jacobum fuit depositum, postea
 autem Venetias translatum, atque in æ-
 dibus Fratrum Minorum de Observan-
 tia

tia terræ mandatum est. Scripsit plu-
res epistolas, orationes latinas æque,
ac Italas, necnon tractatum *de sublimi
dicendi genere*: erexit insuper Patavii Col-
legium pro duodecim nobilibus Vene-
tis, quibus annuatim pro congrua susten-
tatione sexaginta aurei, seu *Ducati* di-
stribuerentur.

§. XLIII.

Cicadae Cardinalis extrema.

Inter Cardinales hoc anno defunctos
tertius erat Joannes Baptista Cicada
Genuensis die vigesima septima Martii
Anno Incarnationis Dominicæ millesi-
mo quingentesimo decimo natus, qui
Patrum habuit Eduardum Sagonen-
sem Episcopum in Insula Corsica, cu-
jus Episcopatus a Piratis devastatus Cal-
vium fuit translatus. Ceterum Cicada
totum literarum studium percurrens, ac
civilis, & Canonicae jurisprudentiæ
scientia clarus regnante Paulo III. Ro-
mam venit, a quo utriusque Signatu-
ræ Referendarius, & postea Anno Do-
mini millesimo quingentesimo trigesimo
nono Petro Paulo Parisio ad Cardinala-
tum evecto ærarii Pontificii Præfectus,
necnon Camerae Apostolicæ Auditor
creatus est, in quo munere tum Vica-
rium habuit Hugonem Boncompagnum,
dein Cardinalem, ac demum summum

Sæcul. XVI
A.C. 1570.

*Cicon.
pag. 779.
Uvert. Fol.
in elog.
Claror Li-
gurum
Aubery l.c.*

Sæcal. XVI. Pontificem: itaque per tot officiorum
A. C. 1570. gradus Cicada ad Albinganensem Epi-
 scopatum inter Liguriæ fines situm
 ascendit, qua dignitate ab Anno Christi
 millesimo quingentesimo quadragesimo
 quarto usque ad annum post partum
 Virginis millesimum quingentesimum
 sexagesimum fruebatur. Interfuit
 etiam Concilio Tridentino, Anno au-
 tem Redemptoris nostri millesimo quin-
 gentesimo quinquagesimo primo a Ju-
 lio III. Cardinalibus Presbyteris titulo
 sancti Clementis adscriptus Legationem
 in Campania obiit, ubi eidem tanquam
 Pro - Legatus adjungebatur Boncom-
 pagnus: dum vero Pius V. denique ad
 Pontificatum assumptus fuit, tunc Ci-
 cada ad Synodi decreta discutienda,
 atque effectui mandanda nominabatur,
 ubi simul Præfectus sacræ Inquisitionis
 renuntiabatur: insuper ejus opera selige-
 batur pro componendis dissidiis Papam
 inter, & Maximilianum Cæsarem exor-
 tis ob jusjurandum, quod Papa ab
 hoc Principe exigere nitebatur. Rexit
 etiam plures Ecclesias, ac præprimis
 Sabinensem, fuitque Religiosorum Mon-
 tis Oliveti Protector: postquam vero
 Marcelli II. Pauli IV. Pii IV. & Pii V.
 electionibus interfuerat, mane die Sab-
 bati duodecima Aprilis mortuus est, se-
 pultus.

pultusque in Ecclesia sanctæ Mariæ de Sæcul. XV.
A.C. 1570.
Populo.

§. XLIV.

Francisci Pisani Cardinalis mors.

Quartus erat Franciscus Pisanus pa- Ciaton.
pag. 412.
Bembo epi.
l. 15. ep. 39.
tria Venetus, ac propterea Car-
dinalis Venetus appellatur. Is erat Fran-
cisci Aloysii Pisani Divi Marci Procura-
toris Filius, qui ad Leonardi Laure-
dani Veneti Ducis preces a Leone X. ju-
venis adhuc Romanam Purpuram ob-
tinuit, cum antea Protonotarius Apo-
stolicus esset: dein vero sacri Col-
legii Decanus evasit, ubi subinde Al-
banensem, Tusculanum, Portuensem, &
Ostiensis Episcopatum rexerat: demum
per quinquaginta tres annos Cardinali-
tia dignitate conspicuus Patavinam Ec-
clesiam gubernans illam a fundamentis
extruxit, atque Marcellum II. & Pau-
lum IV. coronavit: anno autem millesi-
mo quingentesimo vigesimo septimo, quo
Cælarei Romanam urbem occupabant,
fidem suam Clementi VII. constanter
exhibuit, atque unacum illo sese in arce
sancti Angeli inclusit, usquedum de
concordia actum esset: cum autem se
obsidem offerret, Neapolim abductus,
ibidem in arce octodecim Menses hæsit:
porro Turcis Venetorum Reipublicæ
bellum denuntiantibus, eidem quatuor

Sæcul. XVI. aureorum millia dono dedit. Præfuit
A. C. 1570. etiam Narbonensi Archiepiscopatu,
 prout colligitur ex actis cujusdam Con-
 cillii Provincialis, quod in hac urbe An-
 no a nativitate Domini millesimo quin-
 gentesimo quinquagesimo primo Men-
 Decembri celebratum est, cuitum Ale-
 xander Zabinettes ejus Vicarius Gene-
 ralis præerat. Obiit Pisanus Romæ die
 vigesima nona Junii Anno Salvatoris
 nostri millesimo quingentesimo septua-
 gesimo, Corpusque ejus ad Divi Marci
 Ecclesiam delatum penes majorem Tem-
 pli portam sepultum est.

§. XLV.

Ludovici Pisani Cardinalis extrema.

Ciaccon.
pag. 949.
Fran. Sans-
sovi. hist.
Venet.
Aubery l. c.

Quintus denique erat prioris Cardi-
 nalis Nepos Ludovicus Pisanus pa-
 triter Venetus, ac Anno millesimo quin-
 gentesimo quadragésimo octavo cedente
 ejus Patruo creabatur Episcopus Para-
 vinus, quam Ecclesiam, quamdiu vixe-
 rat, cum ingenti prudentia, ac sapien-
 tia moderabatur: nominatus quoque
 est a Pio IV. Cameræ Apostolicæ Cle-
 ricus, & demum illius Præses, atque
 ad Cardinalis Patruum sui, qui tum sa-
 cri Collegii Decanus erat, preces Car-
 dinalis titulo sancti Vitalis, licet tum ab-
 sens, Anno Christi millesimo quingen-
 tesimo sexagesimo quinto eligebatur:
 cum

cum autem is idem cum suo Patruo nomen haberet, ut inter se discernentur, vulgo nuncupatus est Cardinalis Patavinus, eoquod hujus Ecclesiæ Episcopus esset. Interfuit hic etiam sacris comitiis, in quibus Papa erat electus Pius V. sub cujus Pontificatu Pisanus Venetiis die trigesima prima Maji Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo nonnisi quadraginta quinque annos natus extremum clausit diem, sepultumque est ejus Cadaver prope Aram principem in Ecclesia sanctæ Mariæ de Gratiis.

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

§. XLVI.

Uterque Joannes Tilletus, seu Tilius mortuus.

Hoc item anno nonnulli etiam Scrip-
ptores Ecclesiastici vivis erepti nu-
merantur, ex quibus primo veniunt
ambo Fratres, quorum uterque nomi-
nabatur Joannes Tilius, Engolismæ nati,
atque ambo eodem anno defuncti, &
quidem natu major secunda Octobris
die, junior vero decima octava Novem-
bris Anno redemptionis nostræ mil-
lesimo quingentesimo septuagesimo: ex
his senior Parisiensis Curix Protonota-
rius erat, quod munus veluti hæredi-
taria successione diu devolvebatur ad
hujus familiæ viros, ex quibus celebris
Co 4 erat

Thuan. l. 47.

pag. 664.

Sanmarth.

in elog. l. 23

Possev. in

app. Bibl.

Dupin Bibl.

des Aut.

Eccl. t. 16

pag. 102

Sæcul. XVI
A. C. 1570.

erat Tilius ob exactam Gallicæ antiquitatis cognitionem, majorem tamen nominis sui famam sibi comparabat suis commentariis postea Lutetiæ Parisiorum Anno millesimo quingentesimo nonagesimo quarto editis circa libertates Ecclesiæ Gallicanæ.

Alter Frater pariter Joannes Tilius nominatus, ætate junior Sacris additus primo Briocin Armorica ab Henrico II. circa annum Christi millesimum quingentesimum quinquagesimum tertium Episcopus nominabatur, anno autem Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo ad Meldensem Ecclesiam translatus est, quamvis eequidem ambo primis suis annis Calvini Magisterio usi fuissent, fidei tamen Catholicæ studio, ac constantia celebres erant, imo ipse etiam Joannes Episcopus plura adversus spuriam reformationis Ministros elucubravit opera, quorum præcipua sunt: I. Tractatus de Religione Christiana Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo nono typis excusus. II. Responsum ad novellæ Ecclesiæ Ministros, quod latino idiomate Anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, & postea Gallice anno sequenti excusum prodiit. III. Monitum ad seductos nobiles Anno millesimo quingentesimo sexagesimo

xagesimo septimo typis impressum. Sæcul. XVI.
A.C. 1570.
 IV. Tractatus de Symbolo Apostolorum,
 & duodecim fidei articulis Anno Incarnacionis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto Parisiensibus literis excusus. V. Editio Græca Canonum Apostolorum, & tredecim Conciliorum itidem Parisiis Anno a partu Virginis millesimo quingentesimo quadragesimo typis vulgata. VI. Hæbraica Evangelii sancti Matthæi editio unacum versione latina Basileensi, quod opus Anno post Christum natum millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo primam lucem adspexit. VII. Edidit Calaritani opera, quæ Parisiis Anno millesimo quingentesimo sexagesimo octavo prodire. VIII. Publici juris fecit sancti Paciani Barcinonensis Episcopi exhortationem ad Pœnitentiam, quæ itidem Parisiis impressa fuit Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo: prius autem anno millesimo quingentesimo quadragesimo nono quatuor libros Caroli Magni sub nomine Eliæ Phili vulgavit. Scripsit etiam Tilius Chronicon Regum Franciæa Pharamundo usque ad primum annum Regni Henrici II. seu usque ad Annum Domini millesimum quingentesimum quadragesimum septimum, quæ historia primo latine cõposita, ac postea

O o 5 Galli-

Sæcul. XVI. Gallice reddita usque ad annum mil-
 A.C. 1570. lesimum sexcentimum quartum pro-
 ducebatur, typisque imprimebatur una-
 cum Pauli Æmilii historia, & colle-
 ctione eorum, quæ Franciæ Reges con-
 cernunt. Exstat adhuc aliud docti hu-
 jus Præfulis opus, cui titulus *Actionis*
quorundam Romanorum Pontificum collate
cum actionibus Principum Paganorum:
 composuit idem alia adhuc opera, quæ
 tamen in vulgus non fuerunt sparsa.

Fior. Rom. Ceterum utrique huic Fratri adhuc
De ortu hæ- alius erat frater nomine Ludovicus Ti-
ref. l. 7. c. 9. lius, Engolismensis Canonicus, & Ca-
p. 883. Et linensis apud Pictones Parochus, qui
c. 10. p. 889. tamen infeliciter novis erroribus impli-
Et 890. citus Calvinum, qui pariter eum hu-
Elog. Pa- manioribus literis imbuerat, sollicita-
pyr. Mess. bat, ut breves suas exhortationes elu-
addit. ad cubraret, porro easdem etiam miser-
cap. 4. vitæ hic Parochus in suis sermonibus, quos
Calvini ad gregem suum habebat, prælegit, ut
pag. 457. sensim populum hæreticorum doctri-
 næ assuefaceret: verum hujus sacri-
 ministerii abusus illum omnino ad
 fidei defectionem pertrahebat: quocirca
 unacum Calvino auffugiens in Germa-
 niam secessit: ast id ægerrime ferens
 Episcopus Meldensis ejus frater illum
 infecutus tanto rationum pondere ex-
 pugnavat, ut eum secum in Gallias re-
 duceret, ubi etiam Ludovicus ad fi-
 num

num Ecclesiae reversus obiit: Calvinus ^{Sæcul. XVI.}
 vero illum, postquam ad veram Majorum suorum religionem redierat, non-
 nili dicitur insequatur, ^{A.C. 1570.}

§. XLVII.

Joannis Merceri obitus.

Eodem anno millesimo quingentesimo ^{Thuan. l. 47.}
 septuagesimo Joannes Mercerus ex ^{pag. 664.}
 nobili Urseorum familia ortus naturæ ^{Dupin. l. c.}
 debitum solvit. Hic primo jurispru-
 dentiae incumbens magnos fecerat pro-
 gressus, ast postmodum profanæ hujus
 scientiæ tædio affectus sacris literis ope-
 ram navare cæperat, non sine maxi-
 mo fructu, unde politioribus linguis
 Græca, hebraica, Chaldaica, & Latina
 imbutus mortuo Vatablo, seu Watbleo
 Regius linguæ hebraicæ Professor Pa-
 risiis nominabatur, quo munere Anno
 Christi millesimo quingentesimo qua-
 dragesimo sexto cum magna nominis
 sui laude defunctus est: inde vero re-
 cedens Venetias contendit, ibidem cum
 Hebræis collaturus, reversus autem
 Uctiæ Anno post Christum natum mil-
 lesimo quingentesimo septuagesimo de-
 cessit. Edidit plures libros commen-
 tarios in sacras Paginas, præcipue vero
 in forma majori Anno reparatæ salutis
 millesimo quingentesimo nonagesimo
 octavo typis prodit ejus Commentarius
 in

Sæcul. XVI. in Genesin, atque anno millesimo quin-
A.C. 1570. gentesimo sexagesimo quarto illius ad-
 notationes in librum Ruth, ejusque com-
 mentarii in Job circa annum Domini
 millesimum quingentesimum septuagesi-
 mum tertium primam lucem aspexere
 præter alios libros in Salomonis Pro-
 verbia, Ecclesiasten, & Cantica Cantico-
 rum editos: insuper concinnabat etiam
 Harmoniam in duos hosce postremos
 sacri Codicis libros, necnon Anno Christi
 millesimo quingentesimo septuagesimo
 tertio Commentarios in Joel, Amos,
 Abdiam, & Jonam foliis semissibus edi-
 dit præter plura alia opera tam de Ju-
 risprudentia, quam de aliis argumen-
 tis. Ceterum Joannes Filius erat Josiæ
 Merceri, qui pariter in Republica lite-
 raria magnum sibi nomen compara-
 verat.

§. XLVIII.

Joannis Brentii Lutherani interitus.

Haud silentio prætereundus videtur
 celebris quidam vir ex Protestan-
 tium grege hoc item anno defunctus,
 eratque is Joannes Brentius, seu Brent-
 zæn, de quo jam sæpius sermo occur-
 rebat. Hic fidissimus Lutheri Discipu-
 lus Veilæ quodam Sueviæ oppido na-
 tus a Bucero, & Melanchtone anno
 ætatis suæ decimo quarto Heidelber-
 gam

*Thuan. l. 47.
 Sander hæ-
 ref. 205.
 Flor. Rem.
 l. 2. c. 14.
 num. 4.
 Onuphr.
 Chron. an.
 1549.
 Melchior
 Adam in
 vita Juris-
 conf.*

saecul XVI.
A.C 1570.

gam abducebatur, ubi etiam quarto post
 anno artium liberalium Magister crea-
 tus multas vigiliis studiis sacrabat, con-
 tracto autem exinde morbo omnes fer-
 me noctes usque ad obitum suum in-
 somnes ducere cogebatur, fatisque fun-
 ctus est multis jam annis gravis die de-
 cima Septembris Anno Christi millesi-
 mo quingentesimo septuagesimo, æta-
 tis suæ septuagesimo secundo: hic ma-
 gni nominis Vir audiebat ob suas alter-
 cationes, & assiduum sacræ Scripturæ
 studium, quo singulariter delectabatur.
 Postea profunda sua eruditione, suo-
 rumque amicorum precibus sibi Wit-
 tenbergensem Canonicatum emeruerat,
 ac sacro Presbyteratus Ordine insigni-
 tus non raro sacris operabatur: verum
 Lutheri libros assidue pervolvens, ac
 nimis arcta cum hoc hæresiarcha fa-
 miliaritate usus brevi sinistre de vera
 Religione sentire cæperat, palamque
 Lutheri doctrinam profitebatur, quam-
 vis Missæ Sacrificium peragere non de-
 sisteret, contendens, quod illud nulla-
 tenus pro defunctis, sed duntaxat pro
 vivis offerret: præterea insurgebat con-
 tra Zwinglium, ejusque Sectatores, stre-
 nue realem Christi Domini præsentiam
 in Eucharistia propugnans: interfuit
 quoque Wormatiensi, & Ratisbonensi
 colloquiis, ubi cum magna animi con-
 tentio-

Sæcul. XVI. tentione disputabat: tandem vero Tu-
 A.C. 1570. bingæ Theologiam professus juvenem
 viduam duxit, ex qua etiam filios sus-
 cepit.

Insuper Brentius omnibus, ad quæ
 vel causam, vel occasionem præbuit
 Religio, ævi sui negotiis sese ingerebat,
 hæreticorum enim caput post Lutheri
 obitum reputabatur: cum vero belli
 flammæ anno Salutis nostræ millesimo
 quingentesimo quadragesimo sexto in
 Germania accensas potissimum susci-
 tasse argueretur, non raro vitæ pericu-
 lum subibat; Carolus V. enim Impera-
 tor illum comprehendi, ac castigari de-
 creverat, postquam anno post Christum
 natum millesimo quingentesimo quadra-
 gesimo nono Hallam in Suevia captam
 fuisse compererat, eo quod in hujus hæ-
 retici cubiculo plures literæ, ac scripta
 reperirentur, quæ omnia unice ad se-
 ditionem, ac rebellionem concitandam
 spectabant: nihilominus hoc periculum
 eluctabatur Brentius præsidio, atque
 auctoritate fretus Udalrici, Würtem-
 bergensis Ducis Christophori, nam hic,
 ejusque Filius, eo ardentius tum hujus
 hæretici partes tuebantur, illumque bo-
 nis cumulatum, secretioris sui Senatus
 Ministrum nominabant. Denique cir-
 ca annum Salvatoris nostri millesimum
 quingentesimum quinquagesimum Bren-
 tius

tius sua uxore orbatus secundis nuptiis
 sibi Catharinam Issemannam copulabat,
 ex qua duodecim omnino proles pro-
 creavit. Edidit duas, vel tres fidei Con-
 fessiones, ubi ad plura vocatus est collo-
 quia, in quibus de Lutheranis cum Sa-
 cramentariorum factione uniendis age-
 batur: præterea idem accersebatur ad
 Wormatiense colloquium Anno millesi-
 mo quingentesimo quinquagesimo se-
 ptimo habitum, ut ibidem quatuor er-
 rorum genera damnarentur, quorum pri-
 mus error erat Zwinglianorum, alter
 Osiandri circa justificationem, tertius
 circa propositionem, vi cuius pia opera ad
 salutem necessaria dicebantur, ac deni-
 que quartus fuit error eorum, qui ritus
 nec in se bonos, nec malos admitte-
 bant, prout nominatim docuerat Me-
 lanchton, quocum Brentius consentie-
 bat, quamvis ceteroquin cum Osiand-
 ro conspirare videretur.

Hic idem Protestantium Theologus
 posteris reliquit octo volumina, in qui-
 bus dogmata, & Lutheri sententias cir-
 ca Eucharistiæ, ac Justificationis doctri-
 nam novis erroribus auxisse deprehen-
 ditur; tradebat enim, quod Baptismo
 nullum peccati genus abluatur, eo quod
 concupiscentia, quam peccatum nomi-
 nat, semper remaneat: insuper pro-
 pugnabat, quod per Evangelium non fue-
 rit

Sæcul XVI.
 A.C. 1570.

Bouffet hist.
 variat. t. I.
 lib. 8. art. 31.
 pag. 478.

Sæcul XVI.
A.C. 1570.

rit lex imposita, sed illud fuerit non nisi
fausta annuntiatio: præterea novum,
quo realem Christi Domini in Eucha-
ristia præsentiam explicabat, modum
adinvenit, tradens, quod post ascen-
sionem Filii Deus ubique sit. Porro in
hac doctrina adoptasse videtur Ubiqui-
starum errorem, quem Westphalus, Ja-
cobus Andreas Schmidelinus, David
Chytræus, ac quidam alii totis viri-
bus stabilire nitebantur adversus Me-
lanchtonem, qui non sine horrore hanc
doctrinam excipiebat, eo quod per il-
lam duæ Christi Domini naturæ con-
funderentur, ac non modo divina, sed
humana quoque natura declararetur im-
mensa etiam quoad Corpus, ac in-
super Eucharistiæ mysterium evertere-
tur, cum ab eo auferretur, quidquid
in eo speciale reperitur, si diceretur,
quod Christus Dominus, ibidem tan-
quam homo non alia ratione sit præsens,
quam prout est in ligno, vel lapide.

§. XLIX.

Petri Satoris mors.

*Bibl. Anti-
trin. p. 47.
Lubienieski
hist. ref. Po-
lon.*

Ad idem quoque tempus refertur obi-
tus Petri Satoris, qui Theonvillæ
in Metensi agro natus novitatum, quæ
circa Religionem excogitabantur, stu-
diosissimus erat, & singulari studio Ma-
gistris suis Theodoro Bezae, & Calvino
adhæ-

Sæcul. XVI.
A. C. 1570.

adhærebat: novis vero Arianis infensus evasit, eosque palam impugnavit, qua tamen audacia sibi negotium facebat, licet opportuna fuga gravioris molestiæ periculum declinaret; anno enim Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo nono e Polonia secessit, ubi Serveti literis fretus, atque illius opinionibus apprime imbutus magnos tumultus suscitabat, ut ceteris Sectariis prævalere, sibi que amicos conciliare posset, eorumque ope Pinzoviensis Collegii administrationem occuparetur, quo etiam in munere Orsacio successerat: ibi ut sibi nomen apud suos compararet, quædam elucubravit opuscula, quæ ad evertendam de Spiritu Sancti divinitate fidem collimabant, cum autem progressu temporis de hoc errore accusaretur, se hanc hæresin docuisse pernegabat: porro pro hujus mutationis causa Historici Sociniani, aut vanæ gloriæ cupiditatem, aut amicorum suorum favorem, vel pensiones suas amittendi metum, vel molestiæ timorem, aut forte junctim cunctas hæc rationes assignant: verum ut res se habuerit, id extra omne dubium positum constat, quod anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, quo acriter ultro, citroque de Spiritu Sancti æque, ac Christi Domini

Hist. Eccles. Tom. XLVIII. Pp Di-

Sæcul. XVI.A.C.1570.

Divinitate in Conciliabulo utrinque disceptaretur, Stator sustentationis suæ media sibi subtrahi veritus eorum, qui Divinitatem propugnabant, parti adhererit, ac se unquam oppositam sententiam tenuisse audacter inficiatus sit, ubi tamen ab ipso Alexio Radecio mendacii convictus fuit: hic enim palam affirmabat, quod Pinczoviæ studiis vacans ex ipsius Statoris ore perceperit, Spiritum Sanctum non esse Deum: verum Stator se unquam Alexio talia dogmata tradidisse eadem petulantia negabat, iterato exclamans, quod Spiritus Sanctus sit Deus, & quidem Deus, quem adorare oportet: insuper affirmabat, quod omnes illi, qui oppositam doctrinam tuerentur, Dæmonis Filii essent: ast ob continuas hæc variationes merito Budzinius Statori exprobrabat, quod sui ævi Prothæus esset.

Ceterum negari haud potest, quod idem acri ingenio, ingenti eruditione, ac magna latine, Polonice, & Gallice differendi facilitate, atque elegantia insignis extiterit, ejus tamen libri, quos posteris reliquit, Ecclesiæ Doctrinæ de Sanctissima Triade enormiter adversantur: porro vix in Collegio Pinczoviensi Rector nominabatur, cum illico calamum suum fringeret, atque adversus Stancarum ederet librum sub hoc titulo:

lo: *liber contra dogma Francisci Stanca-*
ri: hoc opus Pinczoviæ Anno fa-
 lutis nostræ millesimo quingentesimo
 sexagesimo fuit typis impressum, de quo
 Prateolus, seu Preau testatur, quod
 Staphylus illud perlegens illius autho-
 rem mox hæresis damnari: Stator eo-
 dem hoc anno die vigesima nona Ja-
 nuarii Joanni Lasckio oratione funebri
 parentavit, scripsitque epistolam ad Re-
 migium Chelmium anno millesimo quin-
 gentesimo sexagesimo primo die trigesi-
 ma Januarii datam, quæ exhibet re-
 sponsum Pinczoviensis Synodi jussu red-
 ditum circa quæstionem: an Spiritus
 Sanctus sit invocandus: edidit insuper
 Polonicam Grammaticam præter Biblia,
 quæ Pinczovienses Polonice reddide-
 runt, suisque sumptibus Princeps Ni-
 colaus Radzivilus Vilnensis Palatinus
 anno Christi millesimo quingentesimo
 sexagesimo tertio typis excudi curavit,
 iisque concinnandis præter Statorem
 plures alii docti suam operam locarunt.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1570.

§. L,

Selimi II. Turcarum Imperatoris con-
silium de invadenda Insula Cypro.

Cum hi Novatores suos errores in Po-
 lonia propagandi studio ferverent,
 interea Selimus Turcarum Imperator
 violato pacis fœdere, quod Solimanus

Thu. l. 49.
 p. 507.

P p 2

II.

Sæcul. XVI. II. ejus Pater jurata fide cum Venetis inierat, ac ille innovaverat, Insulam Cyprum Venetæ Reipublicæ obnoxiam occupare statuit, areptoque hoc consilio ad Venetos scriptum transmissit, in quo sibi in hanc Insulam jus competere declarabat, eis denuntians, quod illud armis prosequi decrevisset.

§. LI.

Veneti bellum contra Selimum parantes.

Thuan. l. c. Venetus Senatus Mense Aprili circa annum Domini millesimum quingentesimum septuagesimum Selimi Legato hæc in responsis dabat: „Hucusque nos amicitiam cum Selimo ex fœdere religiosa, ac sincera fide colimus, prout Deum, ac conscientiam nostram hujus veritatis testes habemus: de cetero parati sumus extrema quæque tentare, & experiri, antequam ad tam iniquas, & nomine Serenissimæ Reipublicæ indignas conditiones minis, aut ulla alia ratione adigamur, Cyprus enim neque juris Muselmanici est, neque unquam Imperio Mamaluchi paruit: tributum vero, quod pepigimus, hæctenus persolutum fuit, & cetera, quæ obtinentur, maligne ab iis conficta sunt, qui belli injusti gerendi occasionem
„quæ-

„quærent; porro scelera ne commit-
 „tantur, in Principum potestate non est,
 „sed ad eorum officium pertinet, ne
 „ea impune abire sinant: itaque licet
 „inficari haud velimus, quod piratæ
 „quidam post excursiones contra Sena-
 „tus mandata factas clam in Insula la-
 „tuerint, nec tamen negare potestis,
 „quod illi latrones, qui convicti in Ma-
 „gistratus manus inciderant, statim ju-
 „sto supplicio affecti sint: proinde nos
 „justitia causæ freti, si vos injusta ar-
 „ma inferetis, ad defensionem parati
 „erimus, speramusque Deum, tot cala-
 „mitatum, ac malorum, quæ ex eo
 „bello secuturæ sunt, justissimum, ac
 „certissimum ultorem fore. Ita di-
 „misso Oratore cuncta ad bellum strenue
 gerendum necessaria parabantur.

§. LII.

Nicosia a Turcis occupata.

Præprimis Veneti Principum opem
 adversus communem Christianæ
 Reipublicæ hostem implorabant, ut vero
 hi ad valida auxilia inducerentur, sum-
 mus Pontifex anni sacri festivitatem
 promulgari iussit, quatenus Dei miseri-
 cordia exoraretur, ac fideles ad pia
 Eleemosynarum subsidia permoveren-
 tur: nihilominus Cæsar huic bello sese
 implicare verebatur, solusque Pontifex,

Sæcul. XVI.
 A.C. 1570.

Sæcul. XVI
A.C. 1570.

Hispani, & Veneti mutuam armorum societatem inibant: postquam vero Mustapha, qui Turcarum copiis præerat, in Insulæ conspectum venerat, quanto magis missis fœciali urbem sibi tradi petiit, si cives renuerent, bellum illis minitatus. Veneti ad tuendam Insulam copiis undique accersitis de deditioe nequaquam cogitabant: eapropter Turcæ confestim Nicosiam urbem in medio Insulæ sitam obsidere ceperunt, tandemque obsidione ad quadraginta octo dies protracta urbem occupantes militum furori, ac deprædationi reliquerunt, ubi Solimano reseruarunt plures mulieres, ac puellas corporis venustate liberaliter à natura dotatas, præter quosdam juvenes formae elegantiores, ac pretiosiora vasa, quibus tres integras onerabant naves, quæ tamen cum Constantinopolin versus vela facturæ secundos ventos præstolerentur, interea nobilis quædam hujus Insulæ Matrona, cujus tamen nomen reticent Historici, injecto igne Sulcanum præda ei destinata privavit.

Postmodum Mustapha felici Nicosiæ expugnatione tumidus copias suas Famagustæ admovit, urbemque obsidione pariter cinxit, quam tamen primo obsessi strenue propugnabant: ast dissensione inter Christianos exorta, cum in-

super

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

super Hispani pecunias, navesque subministrare renuerent, Turcæ victores amplum interea suas victorias continuandi spatium nanciscebantur, ad quod plurimum conferebat cunctatio, qua Hispani ab initio opem ferre tergiversabantur, quamvis postea suppetias mittere consentirent.

Altera ex parte Selimus nil intentatum, inausumque relinquebat, ut Venetorum Respublica undique infestaretur, quapropter varia hujus ditionis loca invadebat, quatenus sic eorum vires quaquaversum distraheret, præcipue vero in Albaniam unacum sexaginta armatorum millibus Bassam Achmetem emittebat, qui etiam terrorem ubique iniecit, atque Olchinum veteris Illyriæ, quæ hodie Dalmatia dicitur, urbem a maris Adriatici ora haud procul distitam, nec non arce, ac opportuno portu munitam obsidebat: Hali-Bassa vero Mense Augusto cum quadraginta triremium classe in Insula Chio appulsus est, quem sub idem ferme tempore Mahometes Eubææ Præses cum reliqua classe sequebatur.

§. LIII.

*Mehemetis supremi Vezirii consilia de
agitanda pace Venetos inter, &
Turcas.*

Pp 4

Interea

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

*Calcond. hist.
des Turcs
tom. 2. l. 15.
p. 698.*

*Spond. ad
hunc ann.
n. I.*

Interea assidua summi Pontificis sollicitudo, qua foedus inter Christianos Principes urgebat, haud parum turbabat Turcarum progressus; verebantur enim illi, ne totius Christianæ Reipublicæ Principes sua arma in eos converterent: eapropter Mehemetes supremus Vezirus, qui aliunde bellum in Cyprum Insulam inferri repugnauerat, tam amplas expeditiones Ottomanico Imperio funestas fore pertimescebat; magis autem ejusdem metus augebatur ex potenti auctoritate, quam Mustapha ejus æmulus sibi tot victoriis conciliabat. His itaque turbidis agitated cogitationibus pacis consilia fovere cæperat, ac Venetos ad quædam concordia pacta inclinare tentans, eos adeo propensos experiebatur, ut hi quantocius Jacobum Ragazzonium Constantinopolin ablegarent, qui conditiones Reipublicæ proponendas exciperet. Interea foedus, de quo supra mentionem fecimus, inter Pium V. Papam, Philippum II, Hispaniæ Regem, Venetamque Rempublicam Mense Majo hoc anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo septuagesimo primo plene confectum est, unde Ragazzonii conatus præpediebatur, ejusque successus Venetis haud ultra proficiuus esse poterat.

§. LIV.

Sæcul. XVI.

A C 1571.

Famagusta a Turcis cincta.

Turcæ continuato furore Famagustæ
 obsidionem urgebant, unde urbs ^{Chalcond. p. 703.}
 brevi ad incitas redacta est; quippe
 omnium rerum penuria intra muros pro
 Turcis contra obsessos decertabat, atque
 extra mœnia victorum furor, necnon
 obsidionis assiduitas illius excidium
 minitari videbatur, præsertim cum
 oppugnantium exercitus oppugnato-
 rum viribus longe superior esset: qua-
 propter istorum conditione ad om-
 nium malorum cumulum excrescen-
 te urbis Primores Bragadino Præfecto
 libellum supplicem porrigebant, in quo
 suum ardorem, animique fortitudinem,
 qua hucusque urbem non sine crebro
 vitæ suæ contemptu propugnassent, ex-
 ponebant, eumque rogabant, ut habi-
 ta ratione evidentis periculi, quocum
 ejus conjuges, & proles luctarentur,
 ipsorum conservationi prospiceret, ur-
 bemque honestis conditionibus dedere
 vellet, quatenus hoc pacto ab hostium
 sævitia etiam cives præservarentur.

Accepto hoc libello Bragadinus
 cunctos Magistratus, præcipuosque Bel-
 luiduces convocans, ad eos orationem
 moderatione, ac sapientia uberem ha-
 buit, illisque proximi auxilii brevi ex

Pp 5

Creta

Sæcul. XVI. Creta advolantis spem fecit, eoquod
A.C. 1571. hanc in rem jamjam eo quosdam able-
 gasset: „si vero, addebat Bragadinus,
 „hæc spes nostra evanesceret, non ego
 „sum ille, qui vos hostium furori lita-
 „re, atque extremum vestrum excidium
 „mea pertinaciâ accelerare auderem;
 „calamitatem equidem vestram intimo
 „sensu deploro, simulque fortitudinem,
 „& constantiam, quam hucusque non-
 „modo Belliduces, sed etiam cuncti mi-
 „lites, ac cives exhibuerunt, plurimum
 „admiratus sum: unde tam ignava de-
 „ditione collectas victoriarum lauros
 „hostibus, qui jam se devictos in-
 „gemiscunt, cedendas haud arbitror:
 „aliunde vero num vobis persuadere au-
 „detis, quod Victor adeo ferox, si vos
 „ejus furori tradere volueritis, vestrae
 „vitæ, bonisque parceret? quandonam
 „enim hi infideles fidem illis, qui se eo-
 „rum clementiæ reliquerunt, factam
 „servarunt? revocate in memoriam
 „vestram recentem illorum perfidiam,
 „qua Rhodum Insulam inhumano modo
 „devastabant, violatis speciosissimis pol-
 „licitationibus, quibus fidem suam ob-
 „strinxerunt, quod nemini injuriam in-
 „ferre vellent, cum tamen eo tempore
 „res ageretur cum illo, qui inter omnes
 „Ottomanici Imperii Sultanos ob datæ
 „fidei constantiam celebrior haberetur?
 „de

„de cetero confidite, pro temporum ne-
 „cessitate ea, quæ vestris precibus ma-
 „gis consona erunt, arripiam consilia.„
 Hæc Gubernatoris oratio nonnullos
 commovebat, potissimi vero pertinaci-
 ter cum hoste transigendum, urbemque
 tradendam censebant, ut hac ratione
 majus malum declinaretur.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1571.

§. LV.

*Induciæ pro sancendis deditio-
 tionibus ab obsessis petitiæ.*

Interim Turcæ, dum obsidionales fos-
 sas absolverunt, die trigesima Julii
 cuniculo ignem subjiciunt, ac residuam
 portus Turrin, necnon illius propugna-
 culi, quod portum tuebatur, partem
 dejiciunt, quo etiam tempore mœnia
 conscendunt, certaminis furore utrin-
 que ultra sex horas protracto, ac desi-
 deratis Turcarum quamplurimis. Al-
 tera die ad meridiem denuo restauratur
 prælium, cum minori tamen utriusque
 partis dispendio; nam obsessi, post-
 quam præclara admodum fortitudinis
 suæ specimina sæpius ediderant, pulve-
 ris, atque annonæ penuria pressi, omni-
 que auxilii spe destituti, ab oppugnatio-
 ne cessari petebant, ut de deditio-
 tionibus agi posset, interea vero
 utrinque obsides traderentur: itaque
 in hæc pacta conventum: I. Omnibus
 vitæ

Thu. 1. 49.
 p. 75.

Sæcul. XVI
A.C 1571.

vitæ gratia fiat. II. Exteri incolomes unacum suis fœderatis, armis, vexillis, impedimentis, & quinque majoribus belli tormentis egrediantur. III. Quivis ex Belliducibus, & Proceribus secum tres ex suis equis magis generosos abducat. IV. Cunctis triremes, & navigia suppeditentur, quibus tuto in Cretam abire valeant. V. Ex civibus nulli molestia inferatur. VI. Nec illi patria sua excedere cogantur. VII. Ipsi omnia eorum bona salva sint, eisquæ æque, ac Græcis, qui ibidem perfistere voluerint, in Religionis Catholice exercitio vivere integrum sit.

§. LVI.

Deditionis pacta a Mustapha acceptata.

Thuan. l. c.
Chalcond. p.
507.
Spond. v. II.
Foglietal. 2.

Mustapha has condiciones ad se missas suo chirographo, necnon juramento juxta Turcarum morem præstito confirmavit, atque ipsemet quatuor navigia ad portum submisit, quibus infirmi milites imponebantur, ceteri vero ex præsidariis statione sua non excedentes Turcas præpediebant, ne civibus vim inferrent, qui etiam initio quidem perbenigne habebantur, brevi tamen Turcæ urbem ingressi simulatam clementiam in crudelitatem vertebant, & miseris cives violenter divexabant, mox vero Bragadinus de hac perfidia per Ne-

Nestorem Martinengum apud Mustapham querebatur, supplex, ut ejusmodi insultus cohiberi præciperet, simulque alia ei navigia submittere vellet, quibus residui milites imponi possent. Annuit Bassa Gubernatoris precibus, ac Martinengo insuper dixit, quod Bragadini valorem, animique fortitudinem admiratus hujus Viri alloquio frui vellet, cum raræ hujus virtutis luculenta prorsus specimina in hac obsidione vidisset: itaque Gubernator Bassæ deliderium edoctus Laurentium Tiepolum in urbe reliquit, ut illam Turcis traderet, ipse vero vespere unacum præcipua Nobilitate Bassam salutaturus urbe egressus est.

§. LVII.

Hujus Bassæ crudelitas, ac perfidia.

Hos Mustapha initio cum ingenti morum comitate receperat: ast familiari colloquio cum eis habito studiose litem movit, falso commentus, quod durante armorum cessatione Bragadinus captos quosdam Turcas trucidari iussisset; id tamen Bragadinus constanter negabat: verum innocentiae suæ argumenta percipere dedignatus Mustapha in rabiem actus Gubernatorem in vincula conjici jubet, posteaque illum ad suum tentorium adduci præcipiens, omnes illos, qui eum

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

Thu. l. 40.
Joan. Bapt.
Adrian. l. 2.
de bell. Cypr.

CO-

Sæcul. XVI
A.C. 1571

comitabantur, jugulari mandavit: Gubernatorem vero compulit, ut cervicem quasi securi jam districtæ subjiciendam ter carnifici porrigeret, pro eo tamen tempore Mustapha satis habuit, quod illum naribus, & auriculis mutilarit: quibus factis eidem humi distento superbis, & contumeliosis verbis illulit, subinde quæritans, ubinam ipse ille Christus esset, quem coleret, & cur non eum e manibus tanti Victoris sua potentia immensa eriperet: insuper eodem tempore, qui in naves impoliti fuerant, spoliati mox remo mancipantur: hæc cum eo die fuissent acta, postridie quinta Mensis Augusti Mustapha urbem ingressus est, & adductum Tjepolum præ ceteris suspendio necari iussit, quamvis ipse urbem Mustaphæ tradere in mandatis habuisset.

Postea die decima septima ejusdem Mensis Bragadinus, cum nondum ejus vulnera essent sanata, inspectante Barbaro ad omnia mænium loca, quæ quatata corruerant, traducitur, sportas binas terra onustas collo gestans, ubi semper, quoties Mustapham prætervehebatur, terram osculari jussus, deinde in sella positus, ac vinctus sublimis ad summam antemnam sublatus est, ut militi nuper capto triste spectaculum præberet: tandem in forum deducitur ad

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

ad tympanorum, tubarumque sonitum, ubi vivo prorsus immani carnificina pel-
lis detracta est, quos tamen cruciatus ille admiranda constantia pertulit, im-
manitatem, ac perfidiam hosti barbaro exprobrans, semperque Jesu Christi no-
men invocans, cum vero ad umbili-
cum ventum esset, tandem profu-
siore sanguine manante animam opti-
me de nomine Christiano meritam Deo,
cujus gratiam fuis indefinenter ad eum
precibus implorabat, reddidit.

Mustapha nondum satiatus ex cru-
delitate, qua celebrem hunc Bellidu-
cem in vita torquebat, insuper mortuo
ejus corpori insultare voluit; quippe
ejus jussu Bragadini pellis palea re-
ferta, atque e malo suspensa in Syriam
vicinam missa est, & per totam Illyri-
ci, & Ciliciæ oram ad immane spe-
ctaculum circumlata, & inde præter
Ludovici Martinengi, Andreæ Bra-
gadini, & Quirini capita Constantino-
polim ad extremum perlata fuit. Her-
cules Martinengus, qui aliquamdiu la-
tuerat, detestanda perfidia Christianam
Religionem ejurabat, Nestor autem
Martinengus huic propinquus, cum pa-
riter per aliquot dies Turcarum rabiem
declinaturus in urbe latuisset, demum
Biro cuidam prætori se captivum dedit,
sed cum in castris aliquamdiu mansisset,
quin-

Chatcond. l.
15. p. 707.

Sæcul. XVI. quingentis Zechinis numeratis vitam,
A.C. 1571. ac libertatem redemit.

Chalcond. l.
15. p. 707.

Mustapha nequidem Sanctorum cineribus parcebat; omnia enim Corpora in Sancti Nicolai Templo recondita exhumari, eorumque ossa concremari præcepit: insuper Sanctorum imagines dejici, altaria everti, atque ejusdem muros dealbari, & denique in delubrum, quod Moscheam vocant, converti jussit. Is denique fuit exitus celeberrimi illius Famagustanæ obsidionis, qua urbe capta Turcæ universam Cyprum Insulam suo subegerunt imperio, quamvis hæc ipsa obsidio Turcis magno pretio constiterit, cum horum infidelium quamplurimi perierint.

§. LVIII.

Naupactense prælium.

Thu. l. 49.

Christiani interim plurima navigia omnium armorum apparatu instruebant, ac præprimis Sebastianus Venerius classis Venetæ Præfectus, qui Corcyræ erat, ut de hostium consilio cognosceret, die prima Augusti Joannem Lauredanum Zacynthum mittit, qui quinto post die Cephaloniam appulsus, cum Turcas, ex Novarrino Zacynthum delatos intellexisset, id Venerio quamprimum significabat, ubi rursus Drosius Chersensis, qui Lauredanum comitabatur, ut hostium clas-

classē propius exploraret, emitteba-
 tur, sed cum in triremes e Cephalo-
 nia redeuntes incidisset, Tronus Drafi
 socius altum mare ingressus ab iis ca-
 ptus est, a quo cum Turcæ rescivissent,
 classē Christianorum Corcyræ esse, eo
 protinus tendere decreverunt: Vene-
 rius vero nimiam ejus propinquitatem
 cavens, Messinam quamprimum, ut se
 cum fœderatorum classe conjungeret,
 transire statuit.

Hoc Christianæ classis discessu Za-
 cynthi, & Cephaloniæ deprædatio Tur-
 cis magis expedita reddebatur, ubi
 etiam plusquam sex Christianorum mil-
 lia in miseram servitutem fuere abstra-
 cta: inde vero Turcica classis trajecit,
 ubi jam antea Achmetes cum Græciæ
 Prætoze, & terrestribus copiis descende-
 rat, ut quamdam seditionem, quam
 suboluerat, ibidem dissiparet.

Interea dum cunctæ Principum fœ-
 deratorum classes Messinæ convenerant,
 Christiani Turcas ad prælium provocare
 decernunt: eapropter relicta Epiri, seu
 Albanis ora die tertia Cephaloniæ
 versus cursum promovebant, ac prima
 navigationis die Christiana classis Pa-
 rium Insulam, seu Eriscusam attigerat,
 altera autem die Cephaloniam veniens,
 atque Euripum Viceardinum, qui Cepha-
 loniam inter, & Dolicham, seu Itacham

Hist. Eccles. Tom. XLVIII. Qq si-

Sæcul. XVI.
 A. C. 1571.

Sæcul. XVI. fitum ingressa in vallis Alexandrinæ por-
A.C. 1571. tu anchoras jecit, inde vero usque ad
 Insulas Echinadas progressa est.

*Epist. Prin-
 cip. vol. 3. ad
 finem.
 Ciacon. vita
 Pii V. p.
 2921.*

Sub idem tempus Turcica classis cum Leucadem peteret, die septima Octobris, quæ in Dominicam inciderat, Christianorum classem, cum ab hisce insulis secedere inciperet, detexit, ei- que tam prope occurrit, ut non nisi mille passibus distaret. Igitur Joannes Austriacus dum hostem conspexit, mox explicatis, ordinatisque sine tumultu navigiis illi Belliduci, qui auxiliariis navibus præerat, præcepit, ne prius, quam diserte jussus esset, se loco moveret, aut ullo pacto certaminis aleæ sese exponeret. Tum quoque Auria Dux classis suæ partem in altum extendit, & Barbaricus, qui sinistrum cornu ducebat, cum sua prætoria navi oræ appropinquabat, ceteri vero Belliduces in stationem suam sese recipiebant, æquata fere fronte, in qua centum sexaginta triremes erant collocatæ. Postea appropinquante Christianorum classe Turcæ statim vela dejicientes quanto- cius sese ad certamen parabant.

§. LIX.

Christiani a Joanne Austriaco adfortiter pugnandum animati.

Cura

Cum uterque exercitus in conspectu
 esset, Joannes Austriacus vexillo,
 quod Neapoli a summo Pontifice rece-
 perat, arrepto in celocem descendit,
 idemque ut facerent, Requesenio, &
 Columnæ præcepit, qui ordines quis-
 que suos circumvecti Catholicos ad pu-
 gnam fortiter capessendam Christo au-
 spice hortantur, eisque crucifixi ima-
 ginem præseferunt: ipse vero Austria-
 cus in media acie orationem ad suos
 habuit, quam lætus militum cum in-
 genti ardore pugnam deposcentium cla-
 mor sequebatur: porro inde Austriacus
 in regiam navim rediit, eodemque tem-
 pore Columna, & Requesenius ipsi quo-
 que ad suas reversi sunt: postea cuncti
 Belliduces ad communes preces signa-
 dabant, totusque exercitus cum ingen-
 ti, ac festivo clamore Crucifixi imagi-
 nem, coram qua cuncti in genua pro-
 strati jacebant, salutant, quod sane spe-
 ctaculum erat ad pietatem incitans: ju-
 cundum enim erat cernere, qualiter
 omnes hi milites armis ad pugnandum
 accincti, & nonnisi infidelium cædem
 spirantes coram Christo Crucifixo in ge-
 nua provoluti erant, & sic Religionis
 veræ hostes debellandi gratiam a Deo
 exorabant. Absolutis precibus Austria-
 cus disploso tormenti ictu classicum ad
 pugnandum dedit, moxque utraque acies

Sæcul. XVI.
 A.C. 1571.

Thuan. l. c.

Qq 2

ap-

Sæcul. XVI. appropinquare cæperat, & quidem Tur-
A.C. 1571. carum classis prospero vento ferebatur,
 mox tamen ad pugnae initium, cessante
 hoc vento tanta præter expectatio-
 nem serenitas sequebatur, ut non in
 mari, sed in continenti consistere
 sibi quisque persuaderet: subinde au-
 tem exurgebat aura lenis Christianis
 percommoda, quippe ea tormentorum
 fumum in Ottomanicam classem defe-
 rebat, quæ sane mutatio primum Divi-
 ni auxilii omen exstitit.

Igitur media utriusque partis acies
 conflictui initium dabat, ac Turcæ, cum
 grandiores triremes propius admove-
 rent, tormentis infestabantur, ac Ve-
 nerius cunctas Joannis Lauredani,
 & Catarini Maripetri triremes ad
 sustinendum primum hostium impetum
 ante prætoriam suam collocabat, prout
 idem Columna fecit: ast Turcæ ordi-
 nis solutis majorum triremium fulmi-
 nationem confuse prætervecti in fini-
 strum Christianorum cornu catervatim
 incubuerunt, & ab ingenti sagittarum
 veluti densissimo imbre emisso prælium
 exorti sunt circa primam meridiei ho-
 ram, quo in impetu cum triremium
 hostilium globus Barbaricum circumste-
 tisset, littus legendo etiam eum a tergo
 adorti sunt: Barbaricus vero dum im-
 pigre omnes strenui Belliducis partes
 exe-

exequitur, cum victoriam in manibus
 jam haberet, ac in media belli mole
 versaretur, sagittæ ictum, ex quo se-
 quenti die decessit, in oculo accepit,
 ubi pugna excedere coactus est, Mari-
 nus tamen Contarenus, qui eidem suc-
 cessit, avunculi sui partes summa virtute
 supplevit, qui & in eo conflictu perit:
 occubere pariter cum eo in sinistro
 cornu Vincentius Quirinus, & Andreas
 Barbaricus: interim Turcæ jam ab illa
 parte dimicando impares, cum ami-
 cum littus prope esset, in illud trepidi
 se ejiciunt, navesque faxis illisas, &
 defensoribus vacuas relinquunt: verum
 non eadem fortuna in media acie pug-
 natum est, in qua nulla Turcica navis,
 quoniam eadem effugii commoditas de-
 erat, se certamini subtraxit, quamvis
 illæ summis iniquitatibus premerentur,
 nam Joannes Austriacus, qui quadrin-
 gentos selectioris militiæ viros, & no-
 bilium quamplurimos secum habebat,
 in Halim Bassam impetum fecit, & cum
 diu acriter pugnasset, tandem præto-
 riam hujus Bassæ, qui etiam interfectus
 est, cepit: ex reliquis quoque Christia-
 nis Lauredanus, ac Malipetrus in me-
 dios hostes ardentius inveci tormento-
 rum ictibus perierunt, nihilominus tum
 utriusque hujus Belliducis milites adeo
 non animum despondebant, ut auctis

Sæcul. XVI:
A.C. 1571.

Qq 3 etiam

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

etiam animis ambas infidelium triremes caperent; insuper Venerius, & Columna duas naves Turcis eripiebant, quamvis in hoc conflictu ex Nobilibus Venetis quamplurimi fuerint trucidati, alique graviter vulnerati: horum tamen jacturam quodammodo Honoratus Cajetanus cujusdam Pontificiæ triremis, cui Christi nomen, Præfectus sarciebat; cum enim Caracozzam celebrem Piratam insequeretur, post leve certamen eo occiso illius navigio potius est.

§. LX.

Turcarum clades.

Thuan. l. c.
Chakond.
t. 1. p. 713.
l. 15.

Bassa Perthæus, postquam impetum quo Christianæ classis navigia eum premebant, spatio duarum horarum summa vi sustinuerat, tandem omni milite amisso, suaque navi, cujus gubernaculum erat diffractum, ad maris arbitrium fluctuante in celocem, quam in subitos casus paratam habebat, conscendens a nemine cognitus sese e prælio subduxit, ubi hujus Belliducis fugam sequebatur ingens tam militum, quam Turcicarum navium strages; quippe ex his infidelibus in hoc prælio ferme triginta hominum millia cæsa numerabantur præter ter mille, & quingentos captivos, inter quos viginti quinque ex præcipuis Belliducibus, imo & ambo Hali Bassæ Filii recensentur eripie-

eripiebantur insuper Turcis centum tri-
 ginta triremes, cum ex tota classe non-
 nisi quinquaginta fuga elaberentur, ce-
 teris aut diffractis, aut incendio con-
 sumptis, aut submersis: præterea quin-
 decim millia Christianorum, qui in Tur-
 cica classe captivi tenebantur, in liber-
 tatem asserebantur, ac denique opima
 omnino præda reportata est: isti enim
 barbari non ita pridem Echinadas In-
 fulas, necnon plures Mercatorum na-
 ves deprædabantur: porro ex fœdera-
 tis desiderata fuere octo, aut novem ho-
 minum millia, quæ non tam in prælio,
 quam post reportatam victoriam ex vul-
 neribus occubuerunt, quamvis enim
 nonnisi leviter Turcarum sagittis faucii
 essent, chirurgorum tamen incertitia male
 curati perierunt.

§. LXI.

*Hæc victoria Pii V. Papæ precibus
 attributa.*

Hic denique gloriosus fuit successus
 celebris illius prælii, quod Nau-
 pactense nuncupabatur, eoquod in hu-
 jus nominis Euripo prope Insulas Echi-
 nadas, seu Curfolarias fuisset commis-
 sum. Ceterum hæc Christianorum vi-
 ctoria de Infidelibus reportata post Deum
 magna ex parte attribuebatur summo
 Pontifici Pio V. qui cuncta ad hoc ma-

Sæcul. XVI.
A. C. 1571.

*Baillet vie
 des Saints
 t. 2. fol.
 pag. 115.
 Gabut &
 Ciacon. in
 vita Pii V.
 l. 3.*

Qq 4 ximi

Sæcul. XVI.
A.C. 1571. ximi momenti negotium feliciter exequendum disposuit, necnon ingentes expensas ad bellum hoc gerendum suppeditavit, insuper publicas, & privatas preces, jejunia, aliaque pia opera peragi jussit, ac ipsemet velut alter Moses manibus suis continuo ad cælum elevatis pugnabat, dum corpus suum jam aliunde morbis, vitæque austeritatibus, severisque corporis afflictationibus, & diuturnis vigiliis confectum macerabat, atque assiduas lacrimas coram Deo effundebat. Referunt quoque ejus vitæ Historici, quod per noctem, quæ ipsam certaminis diem præcedebat, multo ardentius, quam alio tempore ad implorandam Dei opem precibus insistit, idque ipsum per universam Urbem fieri mandarit: insuper iidem Historici addunt, quod eo ipso pugnae tempore, cum in Patrum Senatu de quibusdam negotiis ageret, subito a Cardinalibus digressus, fenestraq; aperta cælum intuens aliquantisper hæserit, ac post exiguum temporis intervallum clausa eadem fenestra ad Cardinales dixerit: „Abite, neque enim est tempus ulterius negotia tractandi, sed „Deo gratias rependendi; nam classis „Christiana hoc ipso temporis momento „victoriam reportavit.“

§. LXII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1571.

Festivitas in hujus victoriæ memoriam instituta.

Hujus victoriæ Nuntii dum Romam venere, Pontifex mox peractis solemnibus gratiis non modo publicas preces in gratitudinis signum decreverat, sed etiam in perpetuam beneficii Divini memoriam mandavit, ut deinceps septima Octobris die ad honorem Dei, ejusque Sanctissimæ Genitricis Mariæ, cujus potissimum auxilio tantam victoriam esse partam profitebatur, *commemoratio sanctæ Mariæ de Victoria* pie coleretur, ubi edito diplomate præcepit, ut hæc festivitas sub Beatæ Mariæ de Victoria nomine quotannis in qualibet Ecclesia celebraretur, atque in Litaniis ejusdem Virginis hæc verba: *auxilium Christianorum, ora pro nobis* infererentur, necnon altera die octava ejusdem Mensis Officium divinum perageretur pro omnibus illis, qui in hoc prælio defuncti essent. Porro eadem hæc festivitas hodiedum adhuc prædicta die in pluribus Ecclesiis celebratur.

*Bull. t. 2.
Ciaron. l. c.
Alain de la Roche traité du Roisair.*

Veneti etiam, postquam cum ingentibus lætitiæ signis Deo pariter pro tam insigni victoriâ solemnes rependerant grates, carceres aperiebant, atque omnes vinctos etsi graviorum crimi-

Qq 5 num

Sæcul. XVI
A.C. 1571.

num reos dimittebant, omnibusque suis subditis prohibebant, ne pullis vestibus uterentur, aut ob parentes, vel amicos suos forte defunctos ullum exterius tristitiæ signum deferrent. Insuper etiam mandarunt, ut quolibet anno in die sanctæ Justinæ sacro, quo hæc victoria fuerat reportata, a servilibus operibus cessaretur, ac singulis annis Senatus ad Ecclesiam huic Divæ nuncupatam solemnem supplicationem instituta procederet: præterea monetæ pariter cudebantur, quibus sanctæ Justinæ imago erat impressa.

§. LXIII.

Marcus Antonius Columna Romæ exceptus.

Thuan. l. 50. pag. 752. Spond ad hunc ann. num. 23. Cum nuntiatum esset, quod Marcus Antonius Columna, cujus fortitudini potissimum hujus victoriæ de Turcis reportatæ gloria in acceptis referenda erat, ingressum suum ad Romanam urbem pararet, summus Pontifex convocato Patrum Senatu deliberabat, qua ratione is excipiendus esset, & utrum ei triumphatorum honores deferrentur: verum placuit, eum honorem Joanni Austriaco esse reservandum, populo tamen Romano a summo Pontifice permissum, ut in gratiam Columnæ nobilissimi civis, & optime de Republica Chri-

Christiana meriti ad sancti Sebastiani portam, qua urbem ingressurus esset, arcus duo erigerentur, cum honorifico ipsius elogio: porro per hanc portam ingressus magna pompa ad Capitolium, præcedente copioso captivorum agmine deducitur, inde vero ad Divi Petri Basilicam ad fundendas preces, gratesque Deo agendas pro tam felici armorum successu pervenit: postea ad Vaticanum palatium contendit, ubi illum summus Pontifex ampla benevolentia, atque affectus significatione excepit, moxque omnes Cardinales, Proceres, Prælati, & nobiles certatim in ejus amplexus ruebant, atque in summam lætitiâ effusi victorem elogiis celebrabant. Altera die Marcus Columna ad Aram Cæli contendit, ut ibidem solemni interesset sacro, quod in gratiarum actionem pro victoria de Turcis relata ibidem decantabatur. Præcepit insuper Pontifex, ut vexilla hosti erepta, tanquam perenne singularis Divini præsidii monumentum, in eadem Ecclesia appenderentur, præterea Marco Antonio Mureto Oratori illius ævi clarissimo injunctum, ut promeritas Victoris laudes panegyrica oratione celebraret, cui solemnitati ex illis, qui in hoc prælio capti erant, præcipui interesse jubebantur, ut Victoris triumphum

augu-

Sæcul. XVI.
A.C 1571.

Sæcul. XVI
A.C. 1571.
augustiore redderent: ubi præprimis notabantur celebris Pirata Caragialius, & Mehemetes Sangiacus Eubææ Præfectus, qui prælium inire validis rationibus dissuadebat.

Postea Marcus Antonius Columna Ecclesiæ de Ara Cæli donaverat argentæam Christi Domini columnæ pariter argentææ alligati imaginem, cui ad conservandam hujus victoriæ memoriam quædam inscriptio fuerat affixa: de cetero cum in ejusmodi eventibus alias festiva instituerentur convivia, Marcus largas potius eleemosynas in pauperes erogandas, necnon ad dotandas inopes Virgines distribuit.

§. LXIV.

Piæ foundationes Papæ Pii V.

Ciacon. vit.
Pontif. t. 3.
pag. 104.
Duchesne
h. st. d. s. Pa.
pes p. 480.
Sub idem tempus Pius V. pluribus piis foundationibus suum nomen celebre reddebat, ac præprimis Patavii Collegium, quod Ghislerianum dicebatur, ad juvenes in pietate, & scientia educandos erexit, simulque Monasterium Fratrum Prædicatorum Boschi, quod est exigua urbs prope Alexandriam Statellorum sita construi jussit, dotavitque: in Ecclesia vero Beatæ Mariæ supra Minervam in Caraffarum Sacello magnificum erigi curavit mausoleum in honorem Pauli IV., a quo purpura erat deco-

decoratus, parique gratitudinis testi-
 monio Cardinalium Carpii, & Alphonfi,
 qui ipsum beneficiis cumulabant, me-
 moriam celebrabat: denique edito di-
 plomate die sexto Octobris cunctis Diæ-
 cesium Episcopis præcepit, ut quilibet
 in sua Ecclesia unam, vel plures Sodalit-
 tates erigeret, quarum institutum haud
 abfimile esset Congregationi, quæ de
 doctrina Christiana Romæ pro juveni-
 bus imbuendis instituta erat.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1571.

§. LXV.

*Pontificis studium in vindicandis Sedis
 Apostolicæ juribus in Neapolis,
 & Siciliae Regnis.*

Idem Pius V. Thomam Orphinum
 Strongylanum Antistitem in Neapo-
 lis Regnum, in Siciliam vero Paulum
 Odescalcum Civitatis-Pernæ Episcopum
 ablegabat, ut hi utriusque hujus regni
 Ecclesias lustrarent: cum autem Magi-
 stratus hisce Prælati, nisi prius illum
 accederent, atque ab eo licentiam ob-
 tinerent, demandatum negotium exe-
 quendi facultatem denegaret, ac pa-
 lam declararet, quod juxta Monarchiæ
 jura Reges ex summi Pontificis privi-
 legio nati essent sacrae Sedis Legati,
 ac proin hæc jura violarentur, si am-
 bobus hisce Prælati suo officio defungi
 in-

*Gabut. in
 vita Pii V.
 Spond. n. 5.*

Sæcul. XVI. A. C. 1571. integrum esset, hinc summus Pontifex hanc repugnantiam edoctus in responsis dabat, quod id, quod Magistratum tanquam privilegium respicerent, potius corruptelæ, ac legum everfio esset, manifesta que usurpatio, sub cujus obtentu plurima contra divinum, humanumque jus attentarentur; potius ergo exillimata hæc privilegia producere, ac comprobare oporteret, cum aliunde ipsimet summi Pontifices omnium eorum, quæ ipsorum Prædecessores egissent, forent iudices, ac legitimi Interpretes, adeo, ut ubicunque aliqua irrepsit morum corruptela, eam emendare eorundem esset, quin ullus sese opponere valeat. Verum hæc rationes, quæ nimium extendi videbantur, frustranæ erant, quippe Reges, eorumque Ministri privilegiis sibi a Papa concessis immote insistebant: unde ex eorum pertinacia progressu temporis plures oriebantur controversiæ, adeo, ut litigantes partes nunquam plene ad concordiam revocari potuerint.

§. LXVI.

*Lutheranorum conventiculum Dresdæ
in Misnia celebratum.*

Pius V. longe majorem concepit dolorem ex infausto progressu, quem hæresis in Germania, Francia, Belgio, & alibi faciebat; præprimis enim hoc anno

anno Domini millesimo quingentesimo Sæcul. XVI.
 septuagesimo primo Mense Octobri Lu- A.C. 1571.
 therani Dresdæ Misniæ Metropoli con-
 ciliabulum habebant, in quo fidei nor-
 mam procudebant circa Incarnationem,
 & Eucharistiam contra errores Ubiqui-
 starum, qui Christum Dominum etiam
 secundum naturam humanam ubique
 existere fingebant: igitur in hoc con-
 ventu Protestantes decidebant, quod
 Christus Dominus in Cæna vere, ac
 modo vivificante, & substantiali præ-
 sens sit, nobisque verum suum Corpus
 in Cruce oblatum, necnon verum suum
 Sanguinem pro nobis effusum unacum
 pane, & vino tradat, atque hac ratio-
 ne ostendat, quod nos adoptet, sua-
 que membra efficiat, & nos per suum
 Sanguinem purificet, peccatorum no-
 strorum remissionem concedat, ac de-
 nique vere, & efficaciter in nobis habi-
 tare velit. Hanc fidei professionem
 Wittembergenses Theologi acceptabant,
 eidem vero Flacci Illyrici, & Brentii
 asseciæ acriter obsistebant, ac Luthe-
 ranos tanquam Sacramentariorum fau-
 tores accusabant. Perceptis horum al-
 tercationibus Saxonix Elector Torga-
 viæ quindecim Theologos convenire
 iussit, qui novam rursus normam fabri-
 carent, in qua realis præsentia Corpo-
 ris, & Sanguinis Christi in Eucharistia
 expri-

Sæcul. XVI
A.C. 1571.

exprimeretur, simulque rejecta Sacramentariorum doctrina verbis oppido vehementibus condemnaretur: insuper Wittembergenses Theologi ad signandam hanc formam cogebantur, ubi reluctantes in carceres detrudebantur, hinc Torgaviensi horum decisione nonnisi dissidia inter Lutheranos magis augebantur.

§. LXVII.

Fidei formula ad uniendos Lutheranos excogitata.

Hospin. de cæna Dom. x. Inst. tom. 2. & in concord. discor. Cum Saxonæ Elector hæc dissensiones sedare perciperet, Liechtenbergæ alium indixit conventum, ubi duodecim Theologi quosdam concordie articulos proponebant, ut inter Confessionis Augustanæ Sectatores unio fieret: porro hi articuli erant, prout sequuntur. I. Calvinistæ ab hac unione excludantur. II. Omnium dissensionum præteritarum oblivio sanciat. III. Melancthonis doctrina, ejusque explicatio, necnon Wittembergensis Catechismus, ejusdemque urbis Theologorum quæstiones, & responsa, ac denique Dresdensis concordia supprimantur. IV. Utriusque partis Theologi convocentur, ut circa Confessionis Augustanæ explicationem mutuo conferrant. In hoc confessu doctrina, qua Christi

Christi Corpus ubique existere dicebatur, fuit rejecta, unde rursus Lutherani rigidiores in duas factiones scindebantur.

Sæcul XVI.
A.C. 1571.

§. LXVIII.

Lutherani cum Zwinglianis in Sandomirensi conventiculo conspirantes.

Nec minor etiam dissensio quoad suam sectam fervebat inter Sacramentarios, prout ex quibusdam conventiculis, quæ hoc anno celebrabant, aperte conspicitur, quippe Anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo Sandomiræ ejusmodi conventus habebatur, in quo concordia inter Lutheranos, Bohemos, & Zwinglianos in Poloniam profugos sancita erat: huic vero Synodo sequentem præfigebant titulum: *Unio, ac mutuus consensus inter Polonicæ Ecclesias, seu inter Confessionis Augustanæ Sectatores, & Confessionis Fratrum Bohemorum affectas, atque inter Confessionis Ecclesiarum Helveticarum fautores, seu Zwinglianos.* In hac Synodo integrum penitus confessionis Saxonicæ articulum circa cœnam producebant juxta formam, quam Melancthon circa annum Salutis nostræ millesimum quingentesimum quinquagesimum primum eo fine excogitaverat, ut hic articulus Tridenti proponeretur.

Syntagma gen. 2. fol. 218. & 219. Bouffet variat. tom. 4. lib. II. art. 192.

Hist. Eccles. Tom. XLVIII. Rr nere-

Sæcul. XVI.

A.C. 1571

neretur: porro ibidem inter alia dicebatur, Jesum Christum esse vere, & substantialiter præsentem in communionem, illumque dari vere iis, qui recipiunt corpus, & Sanguinem Jesu Christi: insuper ibi addiderunt, præsentiam Jesu Christi substantialem non tantum significari, sed vere reddi præsentem, ac distribui manducantibus, cum signa non sint nuda, sed conjuncta rei ipsi secundum Sacramentorum naturam.

Hæc itaque confessio quidem fuerat recepta, nihilominus horum unio non nisi in Polonia suum fortiebatur effectum.

§. LXIX.

Rupellense Calvinistarum conventiculum.

Benoit. hist. de l'edit de Montes t. 1. pag. 4. Interea in Helvetia Zwingliani dubia verba rejicere constanter pergebant, atque ex illo temporis articulo etiam in Galliis Calvinistæ eorum exemplum imitari cernebantur; plures enim palam asseriebant, substantiæ nomen esse repudiandum, necnon trigessimum sextum articulum immutandum in illa fi-

Bossuet l. c. l. 12. art. 1. & suiv. dei confessione, quam circa Cœnam Domini Carolo IX. Regi obtulerant. Horum voluntati non modo privati seorsim, sed etiam Calvinistæ in Franciæ Insula, atque Briana, Parisiensis, & Mel-

denlis

denſis eorum Eccleſiæ, hisque vicinæ ſuf-
 fragabantur, quamvis decem abhinc an-
 nis tanquam purum Dei Verbum pro-
 pugnaſſent oppoſitam ſententiam: ve-
 rum hæreſi nil magis familiare eſt, quam
 continua variatio in doctrina. Hæc
 immutatio illos, qui priori fidei con-
 feſſioni adhuc inhærebant, adeo offen-
 debat, ut Rupellenſis Synodus hoc an-
 no celebrata iſtos novæ reformationis
 correctores damnare decerneret, quam
 ob cauſam Theodorus Beza Geneva
 Rupellam ſpecialim acceſſerat, ut in
 hac Synodo præeſſe poſſet: intererat
 quoque Navarræ Regina unacum Prin-
 cipibus, & Colinio Maris Præfecto, at-
 que illis, qui a Bituriceniſibus, & Fran-
 ciæ Infulæ Calviniſtis deputati novam
 hanc ſententiam, de qua agebatur, de-
 fendebant, petentes, ut ea, quæ de
 participatione ſubſtantię Chriſti Do-
 mini in Cæna in articulo trigefimo ſexto
 nunc controverſo enuntiantur, magis
 clare explicentur: verum poſt diutur-
 nam altercationem Synodus hunc ar-
 ticulum approbabat, rejiciens opinio-
 nem illorum, qui vocem ſubſtantię re-
 cipere volebant: „per quam, inquiebat
 „Synodus, non intelligitur confuſio,
 „commixtio, vel conjunctio, mutatio,
 „aut tranſmutatio, qualiscunque de-
 „num, quæ fieret craſſo nimis, ac car-
 „nali

Sæcul. XVI.
 A.C. 1571.

Thuan. l. 50.

Spond. hoc
 ann. n. 33.
 Aymon. Sy-
 nod. Nation.
 t. 1. p. 902.

Rx 2

„nali

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

„nali modo, sed conjunctio vera, stri-
„ctissima, modo aliquo spirituali, per
„quam Jesus Christus sit noster, & nos
„ipsius, ita ut nulla sit tam arcta con-
„junctio corporum sive naturalis, sive
„artificialis, qualis est illa, quæ tamen
„omnino non tendit ad hunc finem, ut
„ex hac conjunctioe substantiæ ipsius
„cum nostra, fiat persona aliqua tertia,
„& Substantia, sed ut ipsius virtus, ac-
„que omnia, quæ in ipso sunt, ad no-
„stram Salutem nobis arctius conjun-
„gantur, & dentur, non tamen assen-
„timur iis, qui dicunt, nos conjungi
„ipsius meritis, donis, & spiritui tan-
„tum, absque eo, quod ipsemet noster
„sit Christus Dominus, sed potius ado-
„ramus magnum hoc mysterium super-
„naturale, & incomprehensibile, quo
„realiter, & efficacissime Christus Do-
„minus in nobis operatur;

§. LXX.

*Helvetiorum Zwinglianorum querelæ
contra hujus Synodi decretum cir-
ca præsentiam Christi in
Cæna.*

*Hospin. hoc
ann. p. 344.* Cum Helvetii Zwinglii erroribus ad-
hærentes, necnon Calvinistæ in
Francia hunc articulum corrigi vellent,
suam vero doctrinam per hanc Ruper-
tensis

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

lensis conciliabuli decisionem condemnari, ac fraternam inter ipsos unionem dissolvi cernerent, graviter ea de re questi ad Bezam perscribebant; verum ementitus hic Synodi Præses eis respondere jubebatur, quod hoc decretum non respiciat ipsos, sed certos aliquot Gallos, adeo, ut sit alia confessio pro Gallia, atque alia pro Helvetia, non secus ac si alia esset fides juxta diversitatem Regionum: interim Beza, ut Helvetiis quodammodo satisfaceret, addidit, Ecclesias Franciæ detestari præsentiam substantialem, & carnalem, unam cum monstris Transubstantiationis, & Consubstantiationis: porro Beza sic loquendo Lutheranos æque, ac Catholicos indigne habebat, eorumque doctrinam credebatur abominandam.

Verum Helvetii hisce cavillationibus fucum sibi fieri non patiebantur; probe enim intelligebant, quod ipsimet sub nomine horum Gallorum impeterentur: quapropter Bullingerus Tigurinus Minister Bezæ respondere jussus acerbis verbis eidem ostendit, quod re ipsa Helvetii condemnati fuerint, *dam-natis, inquit, eos, qui rejiciunt vocem substantiæ, & quis ignorat, nos esse de illorum numero?* de cetero ea, quæ Beza contra carnalem, & substantialem præsentiam adjecit, minime difficultatem au-

Rr 3

fere-

Sæcul. XVI
A.C. 1571.
ferebant: Bullingerus enim satis sibi per-
spectum habebat, Catholicos æque, ac
Lutheranos questuros, quod ipsis præ-
sentia carnalis attribueretur, cum ta-
men ipsi de ea nequidem somniarint,
aliunde autem non constabat, quomodo
in substantia ibi recipi possit id, quod sub-
stantialiter præsens non est, proin Bul-
lengerus de hisce Bezæ subtilitatibus,
aut de unita ejus substantia, quin ea
præsens sit, nihil intelligens eidem sic
respondit: „in materia fidei clare lo-
quendum est, ne simplices eo redu-
cantur, ut, quid credere oporteat,
ultra nesciant: mitigandum ergo est
decretum, eoquod hoc unicum sit me-
dium, quo inter varias has sectas con-
cordia stabiliri possit.,

§. LXXI.

*Deputati a Galliarum Regè. Ruper-
las ablegati.*

*Thuan. l. 50.
Mezeray
abregé t. 5.
pag. 230.*

Sperabatur equidem, quod in Fran-
ciæ Regno per concordie edictum,
quod anno priori Mense Augusto in fa-
vorem Calvinistarum promulgabatur,
pax revocanda esset, nihilominus novi
indies tumultus inter ambas partes su-
scitabantur; ut ergo Carolus IX. Rex
hisce malis remedium opponeret, in-
eunte Mense Januario Arturum Col-
sæum Franciæ Marescallum, & Phi-
lippum

lippum Gorræum Proterium libellorum Sæcul. XVI.
A. C. 1571.
supplicum Magistrum Rupellas decerne-
bat, ut Protestantium querelas, de
quibus ad Regem perlatum erat, au-
dient, & de obscuris, aut ambiguis
edicti articulis juncta opera consulerent,
& ad Regem desuper referrent. Postea
ibi obiter egerunt Deputati de matri-
monio inter Margaritam Valesiam Ca-
roli IX. Regis sororem, & Henricum
Navarræ Principem contrahendo, ut
vero magis Colinium maris Præfectum,
qui colloquio intererat, ad sua studia
pertraherent, hinc eidem, cum eum
bellum civile detestari, Hispanos vero
seditiones appetere scirent, de Orangi
rebus in Belgio adjuvandis mentionem
proposuerunt, ei significantes, quod
Galliarum Rex bellum contra Albæ
Ducem in Belgio gerere desideraret:
porro id Architalassius summopere ex-
optabat, ut injuriam sibi in oppido sancti
Quintini illatam ulcisceretur, necnon
Protestantibus opem ferendo simul Nas-
sovienses Principes pristinis honoribus
reddere, hacque ratione mutua ab eis
auxilia sperare posset.

§. LXXII.

*Calvinistarum querelæ coram hisce
Deputatis expositæ.*

Rr 4

Post.

Sæcul. XVI.

A.C. 1571.

Thuan. l. c.

Postquam articuli in hoc edicto controversi fuerant discussi, ac Cossæus cuncta ad Regem referre promiserat, Protestantes suas querelas proponebant, hæc exponentes: „quamvis perspecta sit „Regis egregia erga nos voluntas, non „possimus tamen non iniquo animo ferre, quod illi, qui data tumultuum „caussa hæctenus Regem puerum in potestate habuerunt, eumque falsis præjudiciis præoccupatum ad arma contra suos sumenda impulerunt, ac verius coegerunt, nunc in aula rerum summa potiantur, ac compositis per pacem bellis, quod armis, & aperta vi amplius non possunt, Protestantes „calumniis incessere non desinant, & „irritato semper Regis animo, ac concitata his artibus plebe rursus novum „sopitis tumultibus fomitem subjiciant, itaque quamquam inviti, coacti tamen „ad apertum bellum descendimus, ac „necessitate extrema impulsus in nuperis „bellis arma cepimus, idque Regi, & „omnibus æquis rerum æstimatoribus „probatum volumus, eo quod præteritorum memoria, quam sempiterna aliorum „qui oblivione sepultam cuperemus, „ad justam causæ nostræ defensionem „renovata fuerit: igitur Regem exoramus, ut apud se perpendat, quid in „Bajonensi colloquio cum Ferdinando „Al.

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

„Alvaro Toletano Albæ Duce, & Pon-
 „tificis Oratoribus actum sit: quippe eo-
 „dem tempore, quo Philippus II. ex
 „Hispania copias in Belgium miserat,
 „simul conjurati quietis publicæ hostes
 „in Gallia cunctos Protestantes nihil
 „tale cogitantes opprimere tentarunt,
 „eaque de causa sex millia Helvetio-
 „rum conscripta fuere specietenus, ut
 „hi ditionis hujus finibus, donec Alba-
 „nus cum suo exercitu in Belgium per-
 „transisset, firmandis, ac tuendis in-
 „servirent, reapse tamen id fiebat, ut
 „Ducis Albani, qui ipse horum mili-
 „tum conscribendorum auctor fuerat,
 „consilia adjuvarent, prout id ex even-
 „tu constitit; nam si illi propter Al-
 „bani adventum conscripti fuissent, eo
 „jam in Belgium cum toto exercitu
 „profecto, quid auxiliariis copiis,
 „Regi tam grandi ære obligato opus
 „erat? aut si eas retineri securitati re-
 „gni intererat, cur non potius per fi-
 „nes distribuebantur, & non Castrum
 „Theodorici usque progredi jussæ, sed
 „intra Regni viscera acceptæ sunt? in-
 „de enim necessitas Protestantibus im-
 „posita est ad armorum subsidium con-
 „fugiendi, & inde ortum bellum, quod
 „cum statim cruento admodum prælio
 „quasi diremptum esset, cur rursus pax
 „ad oppidum Longemellum facta eo-

R r 5

„dem

Sæcul. XVI. „dem anno detestanda conjuratorum
 A. C. 1571. „factione violata est? cur structis a Car-
 „dinale Lotharingio insidiis ipse Prin-
 „ceps Condæus, & Colinius Architha-
 „lassus ad Nucetum, quo quieturi con-
 „cesserant, pœne oppressi sunt? cur si-
 „do ab epistolis ad Regem misso una-
 „cum literis, in quibus de injuria sibi, ac
 „suis ab inimicis facta querebatur, ma-
 „nus injectæ sunt? cur tunc, cum idem
 „Princeps Condæus Conadam ad Li-
 „gerim cum Colinio venisset, non so-
 „lum infesta omnia reperit, sed literas
 „passim Regis nomine ad provinciarum
 „Præfectos missas cernere coactus est,
 „quibus mandabatur, ut hi in Con-
 „dæum Principem, atque ejus sequa-
 „ces tanquam inperduelles ubique vim
 „facerent? id vero compertum est, quod
 „priusquam arma fuerunt sumpta,
 „jam antea Regni hostes hæc consilia
 „procuderint, prout patet ex diplomate
 „Pontificio, quo mense Julio circiter quin-
 „quaginta aureorum millia de annuis
 „reditibus ex bonis Ecclesiasticis Rex
 „in belli usum alienare permittebatur:
 „cum vero illi ipsi hostes Regi auctores
 „fuerint, ut edicto deinceps mense se-
 „ptembri promulgato omnem conve-
 „niendi licentiam, ac religionis, & con-
 „scientiæ libertatem Protestantibus adi-
 „meret, manifestum omnibus fiebat,
 „quod

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

„quod rem eo adducere moliti sint, ut
 „adempta omni conciliationis spe ex
 „desperatione bellum perpetuum ac
 „nonnisi alterius partis excidio extin-
 „quendum in Galliæ regno foveatur?
 „enimvero suspiciones inde ortas cum
 „animo repetamus, haud mirum, si de
 „futuro male ominemur, præsertim cum
 „videamus, eadem fere, quæ tunc tem-
 „poris, etiam nunc contra nos agitari,
 „nec enim ferendum Regi, prout exi-
 „stimamus, quod Navarræ Regina li-
 „bero Lactoratensis Urbis, quæ Arme-
 „niaci Principatus ad eandem pertinen-
 „tis est primaria civitas, ingressu, &
 „possessione prohibeatur, simulque Uri-
 „lacum nobis ad preces nostras, & con-
 „ventus publice faciendos assignatum
 „ademptum sit: injustum quoque cen-
 „semus, quod per decretum ad Ville-
 „riam in Betia sylva nuper factum
 „multa in edicto superiore fuerint mu-
 „tata, vel interpolata, aut iniqua in-
 „terpretatione sublata: nec parvam su-
 „spicionem nobis iniecit, quod Hono-
 „ratus Sabaudus Villarii Comes nobis
 „infestissimus Navarro Regi in Aquি-
 „taniæ præfectura Legatus a Rege at-
 „tributus fuerit, ac cum copiis novis
 „in provinciam venire dicatur, & Con-
 „dæus Princeps Valeria arce excluda-
 „tur, Achoniis, qui illam tenent, passim
 „impu-

Sæcul. XVI.

A. C. 1571.

„impudenter jactantibus, prius se vi-
 „tam, quam hujus arcis possessionem
 „amissuros: insuper magis adhuc
 „in nostra suspicione firmamur ex eo,
 „quod nothus Lansaci filius in Conve-
 „narum Episcopatu Carolo Henrici Na-
 „varræ Principis spurio fratri præfere-
 „tur, pactaque secreta, uti vocant,
 „quæ edicti partem faciunt, Joannes
 „Morvillerius Procancellarius Sigillo
 „apposito firmare detrectaverit, causa-
 „tus, ea in Senatu minime promulgata
 „fuisse; insuper iniquo prorsus animo
 „ferimus, quod Michael Hospitalius vir
 „omni laudæ major ex odio in nostram
 „religionem, cui in occulto eum fave-
 „re hostes dictitant, aula, & munere
 „suo summotus fuerit: ad hæc tandem
 „notum nobis est, quod passim per pro-
 „vincias consilia in Navarræ Regiæ,
 „ipsiusque filii, & omnium Protestan-
 „tium perniciem agitentur, missis clam
 „in Hispaniam, ac Lusitaniam emissis
 „riis, qui pecunias, & homines in eum
 „usum undique corradant; id quoque
 „in Aquitania propalam Blasius Mon-
 „bastenii obsidione vulnus ulcisceretur:
 „his de causis merito veremur, ne ii-
 „dem, quorum impulsu, seu vi coactus
 „Rex arma inauspicato contra suos sum-
 „pserat, nunc etiam occultis machi-
 „natio-

„nationibus, & auctoritate, qua nimia
 „hi in aula & passim in Gallia valent,
 „Regni tranquillitatem contra ipsius Re-
 „gis voluntatem conturbent.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1571.

§. LXXIII.

*Cossæi Marecalli responsum ad hasce
 querelas.*

Ad hasce hæreticorum querelas Cos-
 sæus Marecallus hunc in modum
 respondit: „Ea, quæ a vobis nunc af-
 „feruntur, partim jam præterita, &
 „abolita omnino sunt, eorumque ob-
 „livio edicto ipso sancita fuit, partim
 „ejusmodi conditionis esse videntur, ut
 „veteres suspicionum causas, quæ ex
 „animis hominum delendæ sunt, non
 „tollant, sed, si refricetur eorum me-
 „moriâ, exacerbatis contentione ani-
 „mis potius nova odiorum semina in
 „mentibus gignere valeant: itaque si
 „paci studeatis, ea missa facere debetis, ne-
 „que incertis rumoribus meticulorum
 „hominum, aut seditiosorum, qui pro
 „novis motibus ansam quærunt, aures
 „præbeatis, sed sibi quisque vestrum per-
 „suadere debet, quod Rex pacem sem-
 „per optet, ac proinde utpote jam ini-
 „tam servare velit. Ceterum, profe-
 „„quebatur Marecallus, cum vos su-
 „„spectionum vestrarum causas in medium
 „„proposuistis, nolo vobis dissimulare,
 „quod

Thuan. l. 6

Sæcul. XVI., quod Rex post edictum factum longe
A.C. 1571. „justiori de causa de vestra erga ipsum
 „sincera fide, ac voluntate in suspicio-
 „nem venerit, nam quorsum tendit Re-
 „ginæ Navarræ, ipsius liberorum, Prin-
 „cipis Condæi, tot procerum, ac de-
 „lectæ nobilitatis jam quadrimestris
 „mora procul a domo, familiisque suis
 „in urbe Rupellana, quæ terra, & ma-
 „ri ad res novas opportuna servit? cur
 „enim non quisque ad lares domesti-
 „cos jam concesserit? aut quæ
 „ista dementia est, quod sæviante
 „bello tam ardentibus votis omnes ex-
 „peterent, ut domum, uxores, & libe-
 „ros visere liceret, nunc autem cum
 „per pacem licet, id non amplius ve-
 „lint, & in alieno veluti solo magnis
 „sumptibus, & incommoditatibus spon-
 „te conflictari malint? enimvero id
 „miratur Rex, nec sibi persuadere
 „potest, quod hæc affectata, & longior
 „mora non aliquid turbarum secum tra-
 „hat: insuper augetur ex eo suspicio, cum
 „resciverit Rex, quod præcipui vestri
 „Duces magnis stipendiis homines con-
 „ducant, atque innumeræ naves circa
 „Broagium, Retensem Insulam, & vi-
 „cina littora in Hispanos, & Lusitanos
 „quotidie hostiliter excurrant, quasi ac-
 „cense inter duos Reges bello, unde
 „crebræ ad Regem querelæ afferuntur,
 „idque

Scip.

„idque male habet Regem, proin sum- Sæcul. XVI.
 „mopere optat, ut omnes offensionum A. C. 1571.
 „& querelarum causæ utrinque præ-
 „cidantur. „

§. LXXIV.

Altera Protestantium responsio.

Protestantes denuo Marescallo hæc
 respondere audebant: „Pace facta,
 „& promulgata statim externus miles
 „a signis dimissus, atque e Rupellensi
 „Urbe discedere iussus est, si qui vero
 „circa vicina loca adhuc sunt milites,
 „id adventui Villarii Comitibus attribu-
 „dum est, qui iis de causis, quas ad-
 „duximus, suspectus nobis accidit, cum
 „in propinquo Regis iussu præsidia du-
 „plicari videamus: porro id, quod tam
 „Navarræ Regina, quam ceteri Proce-
 „res diutius spe, & voto suo in urbe
 „Rupellensi commorati sint, ex eo factum,
 „quod non omnes statim, qui vocati
 „erant, convenerint ad ineundam ra-
 „tionem, qua commodissime fieri pos-
 „set, ut grandis pecuniæ Germanis de-
 „bitæ collatio æque in omnes distri-
 „buatur: „ his ultro, citroque inter
 eos actis, Cossæus cum Proterio in
 aulam redit, ubi Telinius, Bricomon-
 tius, & Arnoldus Cauagnius Senator
 Tolosanus a Navarræ Regina, & Ar-
 chitalaffo delegati eodem tempore e-
 dicti

Sæcul. XVI. dicti executionem urgebant, simulque
 A.C. 1571. Regi pro exhibita benevolentia grates
 rependebant. Hac ratione sic extracta
 est hyems, quæ eo anno sævissima fuit.

§. LXXV.

*Tumultus Rothomagi inter Catho-
 cos, & Protestantes suscitati.*

Thuan. l. 50.
Bellefor. l. 6.
cap. 114.
Spond. hoc
anno n. 32. **M**ense Majo Rothomagi ingentes con-
 citabantur tumultus, quibus mu-
 tuum inter Catholicos, & Protestantes
 odium ansam præbebat; cum enim
 mane hora quarta hæretici ad proces-
 suas urbe exirent, a populo diceris
 petiti, atque a Caletensis portæ custo-
 dibus male habiti sunt; nec ecquidem
 tum quid acerbius in eos tentatum,
 postquam vero sub vesperam Protestan-
 tes domum redierunt, Catholici in in-
 cautos majore impetu inveci ex iis circi-
 ter quinque interficiunt, reliquos aut gra-
 viter vulneratos, aut contumeliose ha-
 bitos huc illuc dispergunt. Idem Diep-
 pæ exemplo Rothomagensium etiam ac-
 ciderat, eaque res forte funestum op-
 pido successum fuisset fortita, nisi urbis
 Gubernator seditiosorum conatus re-
 pressisset. Demum ea re intellecta Rex
 plurimum commotus est, quod nup-
 rum edictum suum effectui dari vellet,
 necnon hisce violentiis Calvinistas irri-
 tari, ac per ejusmodi petulantiam
 con-

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

confilia, quæ contra eos cusa erant, suo exitu frustrari pertimesceret: eapropter illico Franciscus Montmorentius Franciæ Marescallus, & Rothomagensis Gubernator unacum militum agmine illuc missus est, eique attributi ex Curia Parisina quidam Consilarii, Viri integritate conspicui, & ab omni factione alieni, qui necessariam cognitionem habuerunt, & paucos ex reis extremo supplicio affici, aliosque exilio mulctari, plurimos vero grandi pecuniæ summa puniri jusserunt: in trecentos vero absentes tanquam contumaces mortis sententiam pronuntiarunt, eosque depictos patibulo affigi præceperunt: horum igitur supplicio nonnihil hæreticorum furor deferbuit.

§. LXXVI.

Aurelianensium Seditio contra Calvinistas.

Insuper Aurelianensis Urbs Nassoviorum Principum imperio obnoxia Menese priori ejusmodi turbis agitabatur; quamvis enim Franciæ Rex arcem præfidiario milite muniisset, nihilominus Viscantini Comitatus incolæ summo Pontifici subjecti Aurelianensem populum concitabant, ut in hæreticos insurgeret, nec irritò conatu; quippe certamine ad tertiam diem protracto

Hist. Eccles. Tom. XLVIII. Ss plu-

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

plures occisi, alii autem periculose vulnerati fuere: Mommejanus tamen, qui Damvillæ jussu arci præerat, sua sollicitudine, ac prudentia populi furorem tempestive cohibebat: re comperta Ludovicus Nassovius, qui Rupellæ erat, cum hac de re apud Regem Araufensis fratris nomine per literas questus esset, petiissetque, ut juxta edictum liceret fratri probatæ fidei Virum oppido, & arci præficere, qui oppidanos in officio contineret, libenter annuit Rex, & intra oppidum acceptus est Bercho-nius, qui arce præsidio firmata res summa moderatione ab initio composuit, & seditiosos, qui urbe ob pænæ metum excefferant, ut domum redirent, invitavit, at post aliquod menses inquisitione clam facta conscios comprehendi jussit, atque auctoritate regia evocatis ex Delphinatu, & Occidania judicibus in reos animadvertit, quibusdam mortis supplicio affectis, aliis pecuniaria pænâ multatis, & absentibus proscriptis.

§. LXXVII.

Carolus IX. Lutetiam ingressus, atque ad Curiam delatus.

Thuan. l. c. Sopitis hisce tumultibus, Carolus IX. Galliarum Rex solemnî pompa Parisios ingredi statuit, ac quarto post die ipsa etiam ejus conjux Elisabetha Maxim-

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

ximiliani Cæsaris Filia eandem urbem
intravit, Rex vero postmodum pro tri-
bunali sedens in Curia, orationem ha-
buit, cujus summa hæc est: „Quo ma-
„gis apud me reputo, quam variis ex
„quo Regni gubernaculis admotus sum,
„fortunæ procellis, ac calamitatibus
„jactatus fuerim, eo maiores a me red-
„dendas Deo gratias sentio, qui meam
„infantiam singulari patrocínio prote-
„xit: porro post peractas Deo gratias
„easdem etiam ago Reginae Parenti mihi
„charissimæ, cujus eximia in me, &
„Franciam pietas, cura, studium, & pru-
„dentia effecerunt, ut regnum hoc, cui
„regendo per ætatem impar eram, in-
„terea optime administratum, & per
„civilium armorum tempestates inte-
„grum servatum sit, quod cum per pa-
„cem compositum nunc Dei benignitate
„videam, proximum jam est, ut opti-
„mis a Matre ad bene, recteque regnan-
„dum monitis instructus pacem ejus-
„dem beneficio partam omni ope, &
„studio retineam, & in id totis animi viri-
„bus incumbam, quatenus vulnera dome-
„sticis bellis accepta deinceps sanentur:
„quod Deo juvante me ad exitum opta-
„tum perducturum plane confido, ad-
„jutus ope, & consiliis ejusdem dile-
„ctissimæ parentis, illustrissimique An-
„degavensis Ducis fratris negotiorum
„sum-

Ss 2

„sum-

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

„summæ præpositi, & Francisci Alen-
 „conii natu fratris minoris, quem fra-
 „tri ea in re mutuas operas præbitu-
 „rum pro sincero, & concordi, qui in-
 „ter nos est, amore spero, id ut sci-
 „retis, & per vos omnes intelligerent,
 „in hunc locum veni, & ut vobiscum
 „statum præsentem rerum deplorarem,
 „in quo corruptis moribus, ac discipli-
 „na omnium ordinum sensim collapsa,
 „vitia passim grassantur, adeo, ut hæc
 „nihil sibi reliqui fecerint: porro cum
 „ad omnes ordines malum penetrasse
 „magno cum animi morfu animadver-
 „to, tum maxime illud serpere doleo
 „inter Judices tam inferiores, quam
 „eos, qui in supremis regni Curiis iuri-
 „dicendo præfunt: interim id, de bonis
 „& integritate præstantibus viris mini-
 „me dictum intelligo: cum vero sciam
 „ab æquabili jure pendere tranquillita-
 „tem publicam, in id quoque præcipue
 „mihi elaborandum video, ut ea, quæ
 „pravo usu invaluerunt, sedulo corri-
 „gantur, in quo, dum vos auctoritate
 „præ omnibus magis polletis, hinc ut ve-
 „stro quoque exemplo ceteris prælucea-
 „tis, & volo, & jubeo hinc vos, quibus
 „vicem meam in hoc principe regni Se-
 „natu agentibus primas regiæ digni-
 „tatis partes pro muneris necessitate
 „communicavi, ac vitam, & fortunas
 „populorum fidei meæ a Deo credito-
 „rum

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

„rum commisi, a vobis ipsis principium
 „emendationis facere debetis, quo
 „meam fidem, ac conscientiam erga
 „Deum exonerare, & jure æquo inter
 „omnes citra sordes, & gratiam consti-
 „tuto publicam quietem firmare vanea-
 „tis: itaque vos etiam, atque etiam
 „curare æquum est, ut a fordibus re-
 „purgati omnem a vobis avaritiæ no-
 „tam eliminatis, & si quis inter vos
 „vitiis, quæ in iudice minime ferenda
 „sunt, inquinatus reperiatur, eum ab
 „ordine vestro removeatis, ne populi
 „offensio inde contracta ad omnes re-
 „dundet: insuper factiones, partes, pren-
 „siones, & omnem ambitum, res
 „maxime a justitiæ puritate alienas
 „procul facite: id quam ægre pronun-
 „tio, tam vos diligenter eniti par est,
 „ut conceptam de ea re omnium opi-
 „nionem factis refutetis, de cetero vo-
 „bis edico, ut edicta, ac constitutio-
 „nes religiose servetis: & vos ad id or-
 „dinatos sciatis, ut legibus pareatis,
 „non imperetis, & eas contemnatis;
 „si in mandatis, quæ ad vos mittun-
 „tur, aliquid sit, cujus causa supplica-
 „re apud nos debeatis, id sine mora fa-
 „cite, nam preces vestræ benigne admit-
 „tentur, sed ubi vobis de voluntate mea
 „constabit, tum vero vos parere jubeo,
 „neque debetis ulterius disputando cum

Ss 3

„Rege,

Sæcul. XVI.
A. C. 1571.

„Rege, & Domino vestro altercari, cui
 „rerum suarum melius, quam ulli alii
 „ratio constat, & qui earum iudicium
 „sibi soli servat: quapropter vos intra
 „modestix cancellos continete, quippe
 „ad hoc a me constituti, ut jus æqua-
 „bile inter partes dicatis, crimina ca-
 „stigetis, edicta mea, ac constitutio-
 „nes fervetis, pretium obsequii, gra-
 „tiam, & honores a me certa spe con-
 „secuturi: si contra feceritis, indigna-
 „tionis meæ pœnam incursuri: igitur
 „edico vobis Præsides, ut cum quatuor
 „ex Senatoribus a curia delegatis ex-
 „tra ordinem diebus, ac horis, quæ
 „magis opportunæ videbuntur, conve-
 „niatis, sive in palatio, sive in priva-
 „tis ædibus vestris, & quod expedire
 „ad iustitiam, & morum correctionem
 „conferre judicabitis, de iis sententiam
 „vestram scripto comprehendatis, &
 „ad me quamprimum transmittatis.”

Ad hæc a Christophoro Thuano pri-
 mario Præsede graviter, & modeste Se-
 natus nomine responsum, & laudata
 Regis in subditos populos, & in am-
 plissimum ordinem egregia adeo volun-
 tate, pauca pro Senatus dignitate sub-
 jecit, & universos, ac singulos seita ge-
 sturos dixit, ut omnes intelligant, ni-
 hil illis antiquius esse, quam ut opti-
 mis, ac Sanctissimis Regis desideriis ea
 in

in re respondeant, atque etiam præcur-
rant, ejusque fidem, ac conscientiam
administrata sincere justitia apud Deum
exonerent.

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

§. LXXVIII.

*Rupellensium Deputatorum postulata
ad Regem.*

Rupellenses Deputati, qui semper in
Aula hærebant, plura a Rege pe-
tierunt, & quidem I. Ad Senatum re-
vocetur Hospitalius Cancellarius II. ex
Aquitania Villarius Marchio, qui Mont-
lucio succedebat, remittatur III. Lotha-
ringius Cardinalis, & Guisus Dux ab
Aula, & negotiorum administratione
amoveantur IV. Condæo Principi Va-
leria arx reddatur V. præcipuæ senten-
tiæ, decreta, atque judicia, quæ belli
tempore in Protestantes Religionis odio
facta fuerunt, rescindantur, VI. dam-
nati bonis, famæ, & honoribus resti-
tuantur, VII. quæcunque monumenta
earum rerum superessent, ad sancendam
præteritorum oblivionem aboleantur.

Thu. l. 50.

Postremam hanc petitionem Dele-
gati præcipue ob illum eventum, qui
ante tres annos acciderat, urgebant,
ubi Philippus Gastineus dives mercator
Parisiensis, de cetero vir probus, po-
stulatus fuerat, quod conventus noctur-
nos in ædibus suis contra regia edicta

Sæcul. XVI.
A. C. 1571.

habuisset, ibique cœnam more inter Protestantes recepto celebrasset: porro ob id ille ad mortem damnatus est cum Ricardo fratre suo: Nicolaus vero Croquetus locuples item mercator ipsius sororius, quod conventui interfuisset, eadem pœna affectus est, bonis pariter omnibus fisco addictis: iusuper instigantibus factiosis ad sententiæ hujus severitatem simul additum, ac decusum, ut Gastinei domus in Sandionysiana platea, in qua conventus habitus fuisset, solo æquaretur, & area publico cederet, in qua ad perpetuam rei memoriam ex publicatis Gastinei bonis monumentum erigeretur, quo sententia in ipsum lata æri incisa transeuntibus legenda proponeretur.

§. LXIX.

Gastineus pristinis honoribus restitutus.

Thu. l. c.
Dupleix hist
de France t.
3. p. 780.

Rupellenses Delegati vehementer instabant, ut hoc iudicium contra Gastineum, & Croquetum irritum declararetur, ac pyramis in domus illius area erecta, quæ crux Gastinea vulgo appellabatur, ad abolendam facti memoriam dirueretur, necnon defunctus hac ratione pristinis honoribus redderetur. Horum petitio Regi æqua quidem videbatur, verum illi, qui seditiosorum

rum factionem fovebant, metuendum dicebant, ne tunc, si hoc monumentum in gratiam Protestantium tolleretur, inconsiderata plebs inde Catholice Religioni injuriam, ac præjudicium fieri interpretaretur: itaque media sententia tenuit, ut pyramis illa noctu ad vitandum tumultum in proximum Sancti Innocentii cœmeterium transferretur, obducta ænea tabula, in qua sententia contra damnatos lata prostabat, & ejus loco altera in crucis honorem inscriptione aposita; nam sic utrisque, & Protestantibus, & plebi Parisiensi satisfactum iri credebatur: igitur hujus rei exequendæ negotium datum est Claudio Marcello, qui tunc mercatorum præfectum agebat: verum res tanto silentio peragi non potuit, quia populus in rei certæ notitiam veniret, unde concursu a seditiosis facto ad arma conclamatum est, & summo mane concurrentibus per urbem armatis in aliquot ob Religionem suspectorum æles vicinas direptionibus sævitum. Attamen mox accurrente Francisco Momorantio Parisinæ urbis Præfecto tumultus sedabatur, quamvis fervente seditione ex obviis aliquot cæsi, atque alius vilissimæ conditionis homo comprehensus, & ad ceterorum terrorem ad proximam

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

S s 5 ædium

Sæcul. XVI. ædium fenestram gula fracta suspensus
 A C 1571 fuisse (*).

§. LXXX.

*Regis responsum ad Deputatorum
 postulata.*

Ad cetera Deputatorum postulata Rex hæc respondit I. Hospitalius Cancellarius tam gravi pressus est senio, ac viribus tantopere exhaustus, ut hujus officii oneri ferendo impar sit II. de revocando Villario Marchione cum Navarræ Principe agetur III. Cardinalem Lotharingium, & Guisii Ducem subito offen-

(*) Observes velim, quod erga Calvinistas, postquam ipsi omnium malorum auctores toties antea Sacerdotes, atque innoxios Catholicos cædibus, rapinis, aliisque innumeris calamitatibus oppresserant, nunc tamen in Galliis maxima adhibita fuerit clementia, & benignitas, imo iidem etiam Catholici, qui illos ex Religionis zelo læserant, pænis fuerint castigati, nihilominus hac ipsa clementia nunquam ad meliorem frugem reduci poterint: ex his igitur colligi potest, quod Pseudo-Catholici unice ex eo fine S. Inquisitionis severitatem damnent, ac benignitatem erga hæreticos commendent, ut hi hæresin suam impune propagare, & Catholicam fidem evertere possint.

offendere minime decet, cum ambo præclara admodum obsequia regno præfiterint, res igitur mature ponderanda venit, quam priusquam ad hæc extrema procedatur IV. Denique Rex consentire videtur, ut Valleria arx restituatur. Hoc responso contenti rediere Deputati, atque Navarræ Reginam, ejus Filium, & Colinium Maris Præfectum de Regis animo ad pacem propenso certiores reddiderunt.

§. LXXXI.

Castillionæi Cardinalis exauditorati interitus.

Hoc item anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo die quarta Februarii Odetus Colinius Castillionæus antea S. R. Ecclesiæ Cardinalis, Tolosanus Archipræsul, Bellovacensis Comes, & Episcopus, pluribusque aliis Abbatibus auctus infelicem animam evomuit Homptoniæ prope Cantuariam in Anglia, quo illum aufugisse superius memoravimus. Hic Colinii Archithalassi frater perfide fidem Catholicam ejuravit, seque sacrilegiis nuptiis polluens summa pertinacia Calvinistarum sectam defendit, cumque in Anglia moraretur, Franciæ Regis jussu de Elisabethæ Reginæ matrimonio cum Henrico Andegavensi Duce

in-

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

Ciacon. p.
527.
Hist. Aubi-
gne l. 4. c. 14.
Aubery des
Cardin.

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.
ineundo egerat: cum vero hæc Regina
dolis, ac artibus plena esset, Castillio-
næum unice optati successus spe lætabat,
simul tamen studiose grandia suscitabat
obstacula, præcipue exinde petita, quod
præfatus Dux Religionem Catholicam
profiteretur.

§. LXXXII.

*Actum de matrimonio inter Anglicam
Reginam, & Andegavensem Du-
cem ineundo.*

*Thu. l. c.
Duchesse hist
Angl. l. 21.
p. 1692.
Leti vie d'
Ellise t. 1.
p. 471.*

Tandem post frequentes sollicitatio-
nes, & colloquia Elisabetha, quam-
vis Gallos nonnisi inani spe distinere
quæreret, scriptum quoddam his con-
ceptum verbis tradi consentit. I. Si
Andegavensis Dux Reginam ad suum
Sacellum procedentem comitari, nec-
non Anglicanæ Ecclesiæ præcepta au-
dire paratus sit, idque interposita fide
promittat, tunc Elisabetha consentit,
ut nec Dux, nec ejus domestici contra
suam conscientiam ad amplectendam
Religionem Anglicanam compellantur,
donec de ejus veritate ipsimet persuasi
forent. II. Nec Dux, nec ejus Domesti-
ci, de quorum numero postea agetur,
ob rituum Ecclesiasticorum observan-
tiam molestentur, etiamsi hi diversi sint
a ritibus per Regni leges approbatis,
dum-

dummodo Verbo Dei non repugnent, porro id in loco secreto ad satisfaciendum eorum conscientis, talique modo fiat, ut Reginae subditi Ecclesiasticas Regni leges violandi ansam inde arripere nequeant. Franciæ Orator ægre admodum impetrare poterat, ut hæc verba: *ritus Verbo Dei repugnantes*, commutarenrur in ista: *Ecclesie Dei repugnantes*, quæ subrogari Regina annuit: verum insuperhabita simulata hac confessione, nihilominus totum negotium in irritum cecidit, eoquod Elisabetha novas difficultates excogitasset.

Sæcul. XVI.
A.C 1571.

§. LXXXIII.

Catholici in Anglia dire vexati.

Attamen Regina in spuria suæ reformationis negotio animum magis sincerum exhibebat: dum hoc anno triginta novem illos articulos in Londinensi Synodo, quæ anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo secundo celebrabatur, propositos confirmabat: quoniam vero ob anathematis sententiam, qua a Pio V. Papa, ejusque Affeclis hæc Regina fuit percussa, vehementer, prout alibi meminimus, esset exasperata, hinc nova decreta contra Catholicos edidit, cunctaque illorum bona, qui propter Religionem Regno excefferunt, proscripsit, præcipue vero

*Cambden in
vita Elisab.
Sander. de
visib. Monarch.*

ro

Sæcul. XVI.
A.C 1571.

ro Jesuitas in Angliam delatos, omnesque, qui eos receperunt, tanquam læsæ Majestatis reos declaravit: nec his contenta postmodum harum pænarum severitatem augens ad gravissimas pecuniarum multas condemnavit illos, qui Anglicanæ sectæ conventiculis interesse recūsarent, eos autem, qui ab hac hæresi recedere Anglis persuaderent, perduellionis reos pronuntiavit: insuper omnibus, cujuscunque conditionis essent, a Senatu prohibitum, ne pro illis, qui ob violatas Regni leges in vincula conjecti essent, deprecarentur, præterea sancitum, ut omnes illi, qui ad eos in libertatem asserendos quovis pacto suam operam contulissent, nisi id judicii auctoritate factum fuisset, ipsi met tanquam læsæ Majestatis crimini haberentur obnoxii (*).

§. LXXXIV.

*Anglici Senatus edictum in favorem
Elisabethæ.*

Edito

(*) En egregium libertatis conscientiæ exemplum, ex quo manifeste elucet, quod hæretici hanc libertatem tantum ideo deprædicent, ut vitæ licentia diffluentes se ab omnibus Ecclesiasticæ disciplinæ legibus eximant, & Catholicos divexandi obtentum aquirant.

Edito Pii V. diplomate adversus Elifabetham pariter idem Senatus alia promulgavit edicta, maxime severa contra eos, qui quicquam in Reginam molirentur, aut eidem bellum inferrent, vel illam hæreticam, schismaticam, atque infidelem nuncuparent, seu edicerent, quod Regnum nullo pacto ei competeret, aut eidem adhuc vita superstiti alium designarent successorem præter eos, qui ex linea materna descendunt. Præterea sancitum, omnes illos perduellionis reos fore, qui per summi Pontificis literas quempiam Ecclesiæ Romanæ conciliarent, vel reconciliati fuerint, bona vero eorum, qui in Angliam numismata, vulgo *Agnus Dei* dicta, rosaria, vel Christi Crucifixi imagines deferrent, regio ærario esse addicenda, & insuper eos perpetui carceris pœna esse conficiendos statutebatur. Hujus sanguinarii edicti prima victima cecidit Joannes Storia Anglus, juris Doctor, ac olim in Universitate Oxfordiensi Professor, qui e Belgio, quo ferventibus Angliæ tumultibus confugerat, eductus, atque de clandestino consilio cum Elifabethæ hostibus habito infimulatus in vincula conjectus est, cum autem impactum hoc crimen fateri non posset, nonnisi ad subeundam mortis pœnam e carcere educebatur.

§, LXXXV.

Sæcul. XVI.

A.C. 1571.

Spond. annal. n. 8.

Thoiras hist.

Anglic. l. 17.

t. 6. p. 312.

Sæcul. XVI.

A.C. 1571.

§. LXXXV.

Norfolciæ Dux Reginae jussu comprehensus.

Pariter Elisabetha Norfolciæ Ducem, qui Mariam Stuartam ducere moliebatur, comprehendi, atque in carcerem conjici jussit: cum ergo Dux se vinculis onustum cerneret, palam professus est, quod hujus connubii propositum a se conceptum abominaretur, insuper se Elisabethæ fidem servaturum, ejusque studia totis viribus procuraturum spondit. Hac promissione facta, Regina ipsum libertati restituit, qua tamen haud diu potiebatur, nam contra promissi fidem a Rudolpho Pontificis Procuratore sollicitatus denuo clandestina moliebatur consilia (*) quapropter hac perfidia sibimetipsi exitium accersebat, ac rursus carceri mancipatus ad

(*) Hæc nimia temeritate Continuator in odium Pontificis confingere non erubuit, cum tamen ipsemet Thuanus semper Pontificibus infestus ingenue ad annum 1572. mihi fol. 1027. Offenbacens. edit. an. 1609. fateatur, quod ad extremum supplicium abstractus, cetera crimina, quod Regnum Reginae eripere, eique periculum creare conatus sit, eaque de re cum Rudolpho egerit, inficiatus sit.

ad Londinensem turrim captivus abstrahatur. Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

§. LXXXVI.

Continuata vexatio in Mariam Stuartam.

Penes Norfolciæ Ducem prolixæ reperiebantur literæ septima Februarii die arcanis notis scriptæ, in quibus Scotiæ Regina eidem, ut potius in Hispaniam, quam in Gallias secederet, author exstitit, pollicita, quod tunc, si libertati reddita ipsamet quoque eo contendere posset, se Joanni Austriaco nupturam simulare vellet, ut hac ratione eo tutius amicitiam, qua ipsum Ducem honoraret, tegere valeret: insuper eundem Norfolcium rogabat, ut Rodolphum Romam ablegaret, eumque de mutuo utriusque statu, atque amborum calamitatibus plene instrueret. His indiciis suffulti Judices Ducem quæstioni subiciebant, qui cuncta etiam fatebatur, pernegans tamen hoc scriptum, quod a se combustum fuisse credebatur, atque a suo Secretorum Ministro traditum ignorabat. Postea universo Ducis Palatio perlustrato arcanæ notæ clavis, qua Regina Scotiæ, & Dux utebantur, fuit reperta, atque complicum nonnulli, qui capiebantur, cuncta ipsis nota haud reluctantè fassi

Hist. Eccles. Tom. XLVIII, Tt sunt:

Sæcul. XVI. sunt: quapropter anno sequenti die
A.C. 1571. quinta Junii Dux capite plexus obiit (*).

Sub idem tempus pariter in Scotia adversus Mariam Stuartam consilia cubantur, ac præprimis Santandreas Archiepiscopus Proregis jussu captus laqueo vitam finire cogebatur, eo quod violentæ necis defuncto Regi illatæ conficius infimularetur: attamen hæc Proregis sententia, ac inhumana agendi ratio majorem adhuc dissensionem inter Reginæ fautores, & eidem adversantes accendere cæperat, adeo, ut res ad apertum bellum spectaret, in quo etiam Prorex vulneratus paucis post diebus animam exhalavit.

§. LXXXVII.

Colinius Architalassus in Aulam reversus.

(*) Hæc Continuator absque ullo teste allegato audacter refert, cum tamen Scriptores rem longe aliter enarrant, uti videre est apud Thuanum, aliosque: Attamen Historici, qui toto studio Mariæ Stuartæ innocentiam deprimere, hæreticis applaudere, & Ecclesiam convitiis onerare intenti sunt, ejusmodi artibus, ac calumniis suas Historias locupletare coguntur, commentis in veritatis defectum adductis.

Interea Rex jam inclinata æstate Blæ-
 sas concesserat, ut ibi Reginam Navar-
 ram, Principem istius Filium, Condæum,
 ac Colinium Maris Præfectum, quos,
 ut in Aulam venirent, assiduis nuntiis,
 ac literis sollicitabat, exciperet, unde
 Burgolium usque excurrerat, ubi Lu-
 dovicus Nassovius dissimulato Princi-
 pis habitu Regem adierat, & collo-
 quio de Belgici belli tumultibus inter
 se habito Ludovicus Nassovius Regi
 persuaserat, ut & ipse huic bello sese
 implicaret. Hujus Principis rationi-
 bus Rex expugnatus videbatur, seque
 hanc rem serio ponderaturum promit-
 tebat, eundem rogans, ut inter ipsum,
 & Colinium Maris Præfectum colloqui
 opportunitatem procuraret. Colinius
 ab ipso Ludovico Nassovio persuasus se
 ad iter paravit, & Briam delatus est, ubi
 tum Rex agebat: cum ergo Archita-
 lassus a Rege, ac Regina perbenigne
 exciperetur, residua diffidentiae nubes
 brevi dissipata est, nam cum ante Re-
 gis pedes in genua venerabundus pro-
 cederet, eum Rex statim sublevavit,
 parentem suum identidem appellans, &
 palam dictitans, quod nusquam opta-
 tior sibi dies illuxerit, quam quo per
 ejus præsentiam bello finem impositum,
 & tranquillitatem toto regno firmam

Sæcul. XVI.
 A.C. 1571.

Thuan. l. c.
 Daniel tom.
 6. vie de
 Charles IX.
 p. 485. Es
 486.

Sæcul. XVI constitutam videret. His dictis hæc
A.C. 1571. verba ore ad risum composito subiecit,
 „nunc te tenemus, & nobiscum habe-
 „mus, neque postea, dum voles, a la-
 „tere nostro discedere licebit.„ Eadem quoque vultus serenitate, & pari
 verborum familiaritate a Regina Matre,
 & Andegavensi Duce præter spem ex-
 ceptus est, sed præcipue ab Alenconio,
 qui ob id jam tum orta inter fratres æ-
 mulatione suspectus esse cœpit. Rex
 mox honorifica, & plena benevolentia
 verba factis, ac favoribus magis luculen-
 tis cumulavit, & eidem centum li-
 brarum millia ex ærario ad sancienda
 damna privata proximis bellis accepta
 numerari iussit, & unius anni reditus ex
 Castellionæi Cardinalis fratris sacerdo-
 tiis, quæ ille amplissima possidebat, ei-
 dem attribuit, data facultate, vi cuius
 instructissimam ejusdem Castellionæi
 Cardinalis suppellectilem antea dire-
 ptam, ac divenditam, ubicunque eam
 nancisci posset, sibi vindicare valeret:
 insuper pristinus ei in Regis Senatu lo-
 cus est restitutus, quem antea inter
 equitum tribunos, ac Franciæ Mare-
 scallos occupaverat, imo etiam Regis
 liberalitas sese ad Colinii comitatum
 extendebat, nam Telinius quoque
 ipsius Gener magnis honoribus affe-
 ctus

ctus est (*), non minus, ac Rupifacal-
 dius Comes, Nouenus, & Arnoldus
 Cavagnius Tolosanæ Curiaæ Senator,
 qui Architalassum comitatus nunc a
 Rege libellorum supplicum Magisterio,
 ac dignitate donatus fuit.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1571.

§. LXXXVIII.

*Gallarum Rex ad dissolvendum Fœ-
 dus cum Turcis a Papa sol-
 licitatus.*

Eodem hoc anno Pius V. summus Pon-
 tifex Alexandrino Cardinali Nepoti
 suo tum in Lusitania hærenti negotium
 dabat, ut Sebastianum Regem pariter
 ad armorum Societatem contra Turcas
 ineundam sollicitaret: postea vero idem
 a Papa in Gallias decernebatur, ut Re-
 gem ab inito fœdere cum Turcis ab-
 sterrere niteretur, simulque eidem ex-
 poneret, quod iniquo prorsus selectu
 ad Selimum Constantinopolim ablegas-
 set Aquensem Archiepiscopum Catho-
 licæ fidei desertorem: insuper Cardina-
 lis Regi, si fieri posset, dissuadere ju-
 bebatur, ne Margaritam sororem suam

Spond. an-
 nal. n. 7.

Tt 3 Hen-

(*) Hæc in Regis Christianissimi aula fuisse actitata, Christianus Lector merito dubitare posset, nisi a Scriptoribus Gallis memoriæ fuissent prodita.

1571
 1571
 1571

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

Henrico Navarræ Principi hæretico, qui anathemate percussus erat, in conjugem traderet: cum ergo Alexandrinus cuncta hæc sibi a Pontifice injuncta Carolo Regi proponeret, hic in respondis dedit: „mallem potius mori, quam me „Principum fœderi contra Turcas fau- „cito opponere; cum autem bellis prio- „ribus æraria mea sint exhausta, ac sub- „diti mei ad incitas redacti, hinc præ- „fatæ armorum societati nomen dare „præpedior: Aquensis vero Archiepi- „scopus nonnisi in privatis causis, quæ „Regnum meum concernunt, Constanti- „nopolin missus est: quod autem Mar- „garitam Sororem meam Henrico de- „sponderim, de principum, prudentium- „que virorum consilio factum fuit tum ob multa alia, tum ob summam spem conceptam de egregia indole, ac futura conversione Navarri Principis, ubi tempus aliquando declarabit, quodnam in his consilium meum fuerit.

Equidem Pontifex hoc Regis responso contentus esse cogebatur, constanter tamen pro hoc connubio petitam legis veniam concedere recusabat.

§. LXXXIX.

Cardinalis Zuniga mortuus.

Ciacon. vit.
Portif. t. 3.
p. 1039.

Sacrum Purpuratorum Collegium hoc anno quatuor Cardinalium jacturam de-

Sæcul. XVI.
A. C. 1571.

deplorabat: defuncti enim erant Caspa-
 rus Zuniga, Carolus de Grassis, Hie-
 ronymus Souchierus, & Laurentius
 Strozzius, quibus numero quinto non
 accensemus Castillionæum olim Cardi-
 nalem, qui post perfidam suam a fide
 defectionem, sacrilegasque nuptias fa-
 cri Collegii membris adnumerari haud
 meretur: ex reliquis autem primus erat
 Francisci de Zuniga tertii Mirandæ Co-
 mitis, ac de Avellaneda Navarrensis
 Proregis, & Velleris aurei Equitis Fi-
 lius, qui in Universitate Salmanticensi
 Theologiam cum ingenti nominis sui
 laude publice professus, atque anno Sa-
 lutis nostræ millesimo quingentesimo
 quinquagesimo a Carolo V. Imperatore
 ad Segobiensem Episcopatum nomina-
 tus est, cui Ecclesiæ tamdiu præfuit,
 donec a Philippo II. Hispaniæ Rege ad
 Hispalensem Sedem eveheretur, tan-
 dem vero a Pio V. Papa, dum Anno
 post Christum natum millesimo quin-
 gentesimo septuagesimo tertia vice Car-
 dinales creaverat, Romana Purpura
 auctus est eo tempore, quo Joanes
 Zuniga ejus Patruus Regis Hispaniæ
 legationem Romæ apud summum
 Pontificem obibat. Ceterum Casparus
 in Principum Christianorum fœdere con-
 tra Turcas fanciendo egregiam nava-
 bat operam, simulque a Philippo II.

Tt 4

cum

Sæcul. XVI.
A. C. 1571.

cum Francisco Zuniga Beari Duce in Germaniam contendere jubebatur, ut connubium Regis cum Anna natu majore Maximiliani Cæsaris Filia promoveret. His nuptiis Hispali celebratis Casparus ad suam Diæcesin reversus in civitate vulgo *Soen* dicta hoc anno die secunda Februarii in itinere obiit: corpus tamen ejus ad suam Diæcesin delatum, ibidem in Sacello Beatæ Virginis prope aram maximam terræ mandatum est.

§. XC.

Cardinalis de Grassis vita fundus.

Ciacon. l. c.
p. 1046.

Aubery l. c.
Gabut. in
vita Pii V.
Ughel Italia
Sacra.

Carolus de Grassis patria Bononiensis ex nobili familia natus Joannis Antonii Filius erat, qui a Julio III. Papa Camerae Apostolicæ Clericus, Perusiæ, & Umbriæ, ac deinde Romanæ Urbis Gubernator a Pio V. nominatus, atque ob multa probitatis ab eodem fidei, & doctrinæ testimonia, operamque in Concilio Tridentino navatam, Presbyter Cardinalis S. Agnetis in agone, ac mox S. Luciae, & postea S. Euphemiae, quartus suæ gentis Cardinalis renunciatus est, dum jam antea ex Bononiensis Ecclesiæ Archipresbytero Montis Flascconensis, & Castro - Noviensis Episcopus creatus fuerat. Interfuit is quoque Tridentino Concilio, in quo suæ erga sa-

nam

nam doctrinam sinceritatis, atque eruditionis præclara reddidit testimonia, unde a summo Pontifice una cum aliis feligebatur, ut inter Sedem Apostolicam, Hispaniæ Regem, & Venetorum Rempublicam fœdus contra Turcas procuraret, quo in negotio prosper eidem arrisit successus. Scripsit Carolus Cardinalis opusculum de Ecclesia ab Hæresibus liberanda, quem librum Julio III. Romano Pontifici nuncupabat: de cetero dum purpura per biennium vix fruebatur, Romæ e vita migravit die Dominica vigesima quinta Martii anno millesimo quingentesimo septuageimo primo, cum annum ætatis suæ quinquagesimum secundum attigisset: porro ejus ossa in monte Pincio in Sanctissimæ Trinitatis Ecclesia cum elogio literis æneis scripto requiescunt.

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

§. XCI.

Hieronimi Socheri Cardinalis obitus.

Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octavo Hieronymus Souchier, seu Socherus natione Gallus primam lucem aspexerat, ac in primis ætatis suæ annis Ordinis Cisterciensis institutum professus mittebatur ad Bernardinorum Gymnasium, quod est Lutetiæ Parisiorum, ubi feliciter Philosophiæ, ac Theologiæ cursum absolvit,

Ciacon. p.
1632.
Attichy hist.
Card.
Aubery l. c.
Mousalbus
hist. Cisterciens.

Tt 5

solvit,

Sæcul. XVI
A. C. 1571.

solvit, & Lauream Doctoratus consecutus, inter Doctores Sorbonicos adnumeratus est. Accessit ad ejus Doctrinam singularis judicii maturitas, ac prudentia, quibus præclaris animi dotibus sibi plurimum illustrium Virorum benevolentiam conciliavit, atque inde innotuit primum Carolo Cardinali Lotharingio literatorum sui sæculi Patrono, ac Mæcenati: porro istius operæ carus exstitit ipsis Regibus Christianissimis Henrico II. ac Francisco hujus nominis II. & Carolo IX. qui hominis ingenium, sapientiamque singularem admirati sunt: unde ad Claravallensis Monasterii regimen, administrationemque vocatus, & quadragesimus secundus illius Abbas ab Ordinis sui Monachis ob meritorum suffragia electus est. Postea ad Concilium Tridentinum profectus, Ecclesiæ causam, & Romanæ Sedis dignitatem tam ardenti studio defendit, ut meruerit præstantissimi Cardinalis Hosii, ejusdem Concilii Præsidis præconio laudari, atque a Carolo Cardinale Borromæo summis laudibus sæpe commendari. Porro tunc, cum Pio V. Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo sexagesimo octavo singulari mandato Cardinalitiam dignitatem acceptare cogeretur, erat Cisterciensium Abbas, & supremus ordinis sui Præpositus,

fitus, quod sui Ordinis Magisterium nunquam dimittebat vulgo Claravallensis Cardinalis dictus. Tandem Romæ feria sexta die vigesima tertia Octobris annos natus sexaginta tres decessit, sepultusque fuit in Ecclesia sanctæ Crucis in Jerusalem.

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

§. XCII.

Strozzi Cardinalis mors.

Laurentii Strozzi Florentini Parentes erant Philippus Strozzius, & Clarices Medicæa Leonis X. neptis, ejus vero frater fuit Petrus Strozzius Marefcallus Franciæ: ceterum hic Cardinalis natus est Florentiæ die tertia Decembris anno Salutis millesimo quingentesimo vigesimo tertio, ac sub Benedicti Varchii illius ævi doctissimi viri disciplina humaniores literas didicit: Patavii autem adhuc adolescens Jurisprudentiæ operam dedit: cum vero ad forenses strepitus animum minus propensum sentiret, in Gallias contendit, ubi pluribus in regio exercitu officiis honoratus per suam prudentiam, animique fortitudinem ingentem sibi famam comparabat. Postea Narbonensi Provinciæ Henrici II. Francorum Regis nomine præfuit, ubi multa hæreticorum oppida lat munita, animi robore, ac virtute maxima expugnavit, & ad Catholicam reli-

Ciacon.
Fug. 856.
Aubery l. c.
Ferd. Ughel
in addit. ad
Ciacon.

Sæcul. XVI. religionem reduxit: porro cum ad Ca-
A.C. 1571. tharinæ Mediceæ Galliarum Reginae,
 suæque consobrinæ monitiones Ec-
 clesiasticæ vitæ nomen dedisset, ab eodem
 Henrico Rege, in provincia primum
 Regis Procurator, necnon S. Victoris Mas-
 filiensis, & S. Mariæ de Stafarda in
 Marchia Salutarum, ditissimarum Ab-
 batiarum Commendator nominatus
 est, & mox Bitterensis Episcopus delig-
 natus, regimen illius Ecclesiæ obtinuit
 die vigesima secunda Februarii anni mil-
 lesimi quingentesimi quadragésimi octa-
 vi: Regius deinde consiliarius, & S. R.
 E. Presbyter Cardinalis petente Rege
 a Paulo IV. Mense Martio anno millesi-
 mo quingentesimo septimo absens re-
 nuntiatus ad urbem venit, ac die vige-
 sima Septembris ejusdem anni Cardi-
 nalatus insignia, ac titulum S. Balbi-
 næ accepit. In Galliam postea rever-
 sus hæreticorum vires consilio, & pru-
 dentia sua unacum Rege non parum de-
 bellavit, atque Episcopatum Albiensem,
 Ludovico Guisio Cardinale cedente ob-
 tinuit mense Septembri anno millesimo
 quingentesimo sexagesimo primo, ex
 quo ad Archiepiscopatum Aquensem an-
 no millesimo quingentesimo sexagesimo
 sexto translatus est.

Demum quinto post anno decima
 quarta Decembris die Anno a Virginis
 partu

partu millesimo quingentesimo septua-
 gesimo primo nonnisi quadraginta octo
 annos natus Avenione mortalitatem
 exiit, atque in Ecclesia sancti Agricolæ
 sepultus fuit.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1571.

§. XCIII.

Claudii Espencæi Doctoris extrema.

Hoc item anno die quinta Octobris
 Claudius Espencæus Parisiensis in
 Navarrico Collegio Doctor vivis ereptus
 est. Natus is erat Anno Christi mille-
 simo quingentesimo undecimo Catalau-
 ni ex nobili, & pervetusta familia, nam
 materno genere ex illustri in Italia Ur-
 sinorum prosapia ortum duxit: verum
 non modo nativitatis prærogativa cla-
 rus, sed longe magis sua pietate, can-
 dore, ac profunda eruditione celebris
 evasit, nam in Calviensi Gymnasio,
 quod hodieum quadam illius parte ad
 Sorbonici Collegii fabricam revocata
 non amplius existat, humanioribus li-
 teris, Philosophicis autem in Bellova-
 censi, ac denique Theologicis discipli-
 nis in Navarrensi Collegio operam na-
 vabat, ubi quinque annos commora-
 tus, & postea in Universitatis Recto-
 rem electus nonnisi trigesimo primo æ-
 tatis suæ anno Doctoratus honores con-
 secutus est: porro dein a Cardinale Lo-
 tharingio, cui hujus Viri merita sat
 per-

*Thuan. l. 50.
 Spond. n. 36.
 Dupin Bibl.
 des Auth.
 Eccl. t. 16.
 pag. 104.
 Sanmarth.
 elog. l. 2.
 Miræus de
 Script. Ec-
 cles. Sæ-
 culi XVI.*

Sæcul. XVI.
A. C. 1571.

perspecta erant, ad ipsius palatium accersitus, ad multa Ecclesiæ negotia feliciter expedienda egregiam contulit opem: his tamen officiis non adeo se implicabat, ut a prædicando Dei Verbo præpediretur, quamvis ob multas propositiones, quæ ex ejus sermonibus jejunii verni tempore Anno millesimo quingentesimo quadragesimo tertio in Ecclesia S. Mederici habitis depromebantur, apud Parisiensem Facultatem Theologicam accusaretur, has tamen suas assertiones in alio sermone in eadem Ecclesia die vigesima prima Junii pronuntiato revocabat: anno autem Redemptionis nostræ millesimo quingentesimo quadragesimo quarto Lotharingium Cardinalem, qui pro pace inter Franciscum I. & Carolum V. Cæsarem firmanda in Belgium contenderat, comitabatur, inde vero redux a Rege Melodunum mittebatur, ut interesset duodecim Theologorum consultationibus, quæ ejusdem Regis jussu habebantur, ut Doctorum sententiæ exquirerentur circa quæstiones in Concilio Tridentino agitandas: accessit igitur Espencæus, ac plurimum ad decisiones ibidem factas conferebat.

Demum ab Henrico II. Bononiam, ubi Synodus fuerat translata, decernebatur: ast paulopost ob Concilium Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

fimo quinto interruptum inde revocatus a Cardinale Lotharingio Romam deducebatur, ubi Paulo IV. Pontifici notus meritorum fama adeo inclaruit, ut de eo apud Sedem Pontificiam retinendo ageretur: verum hic Pontifex ipfius præfentiam haud amplius urgebat: unde circa annum Domini millefimum quingentefimum fexagesimum a Francisco II. ad Aurelianentia comitia decretus illis feſe adjugebat Theologis, qui in confultationibus ibidem habitis deliberabant, fuamque mentem promebant circa ea, quæ in Concilio per Pium IV. indicto agenda eſſent. Interfuit quoque regnante Carolo IX. anno Chriſti millefimo quingentefimo fexagesimo primo Poſſiacenſi colloquio, ubi tamen a Prælatiſ, aliisque Theologiſ fevere objurgabatur, eo quod in quibusdam Articuliſ cum Calviniftiſ ſenſiſſet, prout jam alibi meminimus: inſuper ab iſdem carpebatur ob librum ſine Authoriſ nomine editum de cultu Sanctarum Imaginum, quod opus ei adſcribebatur, ipſe tamen illud ſuum fuiſſe partum pernegabat. Tandem Eſpencæuſ reliquos vitæ ſuæ dieſ literiſ conſecrans calculi doloribuſ pene conſectus die quinta Octobriſ hoc anno Salutis noſtræ millefimo quingentefimo ſeptuageſimo primo, ætatiſ vero fexageſimo animam Deo

Sæcul. XVI. Deo reddidit Hic vir inter ævi Doctores eruditione, ac in rebus discernendis A.C. 1571. judicii acie longe præstantissimus audit; nam in sacrorum Canonum, ac Ecclesiasticæ disciplinæ peritia apprime versatus, insuper haud peregrinus erat in profanis etiam literis: præterea latini sermonis elegantiam cum ejusdem idiomatis eloquentia, ac Majestate mire consociabat, ejusque opera eximia concinnitate, ac rationum soliditate celebrantur.

§. XCIV.

Hujus Doctoris opera.

Hic idem Doctor in sua Parochiali Ecclesia ad sanctum Cosmam sepultus requiescit, ubi etiam funebris ejus inscriptio visitur: porro is omnes pene libros suos, scriptosque codices Lotharingio Cardinali reliquerat, quos inter præcipui erant. I. Commentarii in Epistolas Divi Pauli ad Timotheum, & Titum, qui in duas partes divisi eruditis abundant digressionibus, in quibus graves enuclent quæstiones circa Hierarchiam, & Ecclesiæ disciplinam; eorum que prima pars Cardinali Lotharingio nuncupata cernitur. II. Tractatus de clandestinis matrimoniis, ubi demonstrare nititur, quod Filii familias insciis, & invitis Parentibus

Sæcul. XVI,
A. C. 1571.

bus, aliisque solemnitatibus matrimonio-
 num valide contrahere nequeant. III.
 Sex Libri, in quibus agit de Continen-
 tia, Sacerdotum coelibatu, Bigamia,
 viduitatis statu, & de votorum con-
 ditione, necnon de cunctis continentiae
 votum concernentibus, item de voto
 solemni, & simplici, denique de con-
 tinentia conjugatorum, qui ex mutuo
 consensu illam servant. IV. Quinque
 libri de adoratione Eucharistiæ. V.
 Tractatus de Missa publica, & privata,
 ubi ostendit, quod antiquitus Missæ
 privatæ non fuerint dictæ, in quibus sci-
 licet fideles non interfuerunt, ac sacram
 Synaxin non receperunt. VI. Sermo
 de officio Pastorum in Bellovacensi Con-
 cilio Anno Christi millesimo quingente-
 simo trigesimo quarto habitus. VII.
 Alia oratio de pedum lotione, quam
 Hebdomadæ sanctæ feria quinta Pari-
 siis in Ecclesia ad Beatam Virginem
 Anno Incarnationis Dominicæ millesi-
 mo quingentesimo trigesimo septimo pro-
 nuntiabat. VIII. Epistola ad Guiliel-
 mum Ruzeum Caroli IX. Confessarium
 de institutione Principum IX. Sermo
 de Franciæ Liliis in die sancto Ludo-
 vico sacra in Collegio Navarrico decla-
 matus. X. Tractatus contra eos, qui
 cælos esse animatos propugnant. XI.
 Alius de triplici languore spirituali.
Hist. Ecclesiast. Tom. XLVIII. Uu XII.

Sæcul. XVI
A.C. 1571.

XII. Scriptum de profectu ex gentili-
lium librorum lectione percipiendo.
XIII. Plura opuscula carmine elegiaco
concinnata. XIV. Tractatus de origi-
ne, antiquitate, Auctoris, atque
usu Collectarum. Denique scripsit quos-
dam Gallicos tractatus, ex quibus ce-
lebriores sunt isti I. de institutione Chri-
stiani Principis, II. duæ orationes so-
næbres, III. quædam orationes, & ho-
melix, præter Apophtegmata Eccle-
siastica, opera dogmatica, & alia quæ-
dam opera.

§. XCV.

*Joannes Genesius de Selpulveda
mortuus.*

*Nicol. An-
ton. Bib-
lioth. Hisp.
Dupin t. 16.
pag. 113.*

Pariter hoc anno Joannes Genesius Se-
pulveda Cordubæ in Hispania An-
no Christi millesimo quadringentesimo
nonagesimo primo natus anno ætatis
sux octogesimo primo obiit. Is erat
Salmanticæ Canonicus, qui cum Ari-
stotelis libros singulari studio pervolve-
ret, latinam ejusdem Auctoris versio-
nem, minus tamen elaboratam una-
cum adnotationibus edidit. Jam alibi
sermonem ingessimus de illius contro-
versia contra Bartholomæum de las Ca-
ses, nam ille sæpe apud Cæsarem ma-
ximam Hispanorum in Indiis avaritiam,
crudelitatem, vitæque licentiam incu-
fabat,

Sæcul XVI.
A. C. 1571.

fabat, eorumque sævam libertatem re-
primi rogabat: porro Genesius inter
opera sua Theologica conscripsit tres
libros de libero arbitrio contra Luthe-
rum, necnon Antopologiam pro Alberto
Pio contra Erasmum. His adjungi me-
retur tractatus de modo testem agendi
in criminibus occultis, cui tamen li-
bro titulum præfixit: *Theophilus*: insu-
per scripsit tres libros de nuptiarum so-
lemnitatibus, & dispensationibus: nec
silento prætereundus est ejusdem liber
de justis belli causis ab Hispaniæ Rege
suscepti contra Indos, cujus libri apo-
logiam dein edidit: præterea composuit
tractatum de veritate Corporis, &
Sanguinis Christi in Sacrificio Missæ.
Ceterum cuncta hæc opera Anno Sa-
lutis nostræ millesimo sexcentesimo se-
cundo Coloniensibus literis excusa pro-
dierunt.

§. XCVI.

Joannis Gareti extrema.

Obiit insuper eodem Anno pridie ad
Paschæ solemnitatem Joannes Ga-
retius Lovaniensis Canonicus Regularis
sancti Augustini in Monasterio sancti
Martini, & postea Monialium prope
Antverpiam Confessarius, ac denique
Gandavi Pœnitentiarius. Hic non mo-
do annuntiando Dei Verbo erat inten-
tus,

*Valer An-
dré Bib-
lioth. Belg.
Dupin.
pag. 117.*

Uu 2

tus,

Sæcul. XVI
A.C. 1571.

tus, sed etiam huic ministerio adju-
bat assiduum sanctorum Patrum studium,
ut componere posset dogmatica opera,
quorum etiam plurima elucubravit, at-
que præter alia edidit præcipue tracta-
tum de Eucharistia, atque alium de Sacri-
ficio Missæ, tertium de precibus pro
defunctis, & denique quartum de in-
vocatione Sanctorum: cuncta autem
hæc opera sæpius tam Antverpiæ, quam
Gandavi fuere typis impressa, in qui-
bus equidem nil nisi Sanctorum Patrum
testimonia, summa tamen cum sinceri-
tate, ac ordine vere methodico relata
sunt.

§. XCVII.

*Electoris Palatini studium in conci-
liandis Lutheranis, atque
Anabaptistis.*

Thuan. hist.
l. 50. p. 566.
Spond. an-
nal n. 32.
Echard. de
reb. gestis
sub Max. II.

Die decima nona Aprilis eodem hoc
anno Fridericus Elector Palatinus,
cum Anabaptistarum sese in ejus di-
tione latius diffundentium progressibus
obstistere niteretur, horum præcipuos
ad colloquium Francodaliæ quodam op-
pido Spiram inter, & Wormatiam sito
indictum convocabat, ubi doctrinæ tum
examinandæ articuli a Petro Athenensi,
& Wenceslao Zulegero Theologis pro-
ponebantur, quibus etiam, ut Scriba-
rum munere fungerentur, Guilielmus
Xilan-

Xilander, & Martinus Neander fuere adjuncti: porro horum consultationes ad duos ferme menses protrahebantur, quibus tamen absolutis re penitus indecisa conventus solvebatur; cum enim Elector Palatinus satis aperte cognosceret, quod hi hæretici tam sacri Codicis testimoniis, quam rationum efficaciam cedere renuerent, hoc colloquium interrupit, Anabaptistis vero, ne in ejus ditionibus suam sectam divulgarent, indictis etiam poenis severissimis prohibuit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

§. XCVIII.

Dissidia inter Lutheranos.

Haud minoribus dissidiis Lutherani in diversas scindebantur factiones; quippe Wittembergenses, qui dicebantur, ineunte hoc anno juxta doctrinam in Saxoniam, & Misniae Ecclesiis receptam quemdam Catechismum concinnabant, qui tamen a Jenensibus, Brunsvicensibus, Hal- lensibus, & Mansfeldensibus Theologis, qui *rigidi* appellabantur, fuit condemnatus, utpote Sacramentariorum errores continens: ex adverso mitigati, quibus consentiebant Lipsiensis, & Wirtembergensis Universitates, obtento trium Senatum decreto apologiam di-

Thuan. l. c.
Fabritius in
hist. Sacra-
ment.

Sæcul. XVI. vulgabant, in qua clarius mentem suam
A.C. 1571. circa Christi Domini Personam, ejus
 Incarnationem, dignitatem, & modum
 sedendi ad Patris sui dexteram explica-
 bant, ibidemque palam testabantur,
 quod hanc confessionem suam aliter re-
 cipi omnino nollent, eoquod illa per
 quadraginta annos ex unanimi omnium
 Ecclesiarum consensu in Saxonia ful-
 set approbata, ac proin vehementer
 mirarentur, quod eadem doctrina, per
 quam suos sibi adversarios conciliari spe-
 rabant, ad eorum animos sedandos, &
 ad concordiam ineundam adeo non
 conduxerit, ut potius exinde ii magis
 fuerint exacerbati.

§. XCIX.

*Censura libri, cui titulus: Theatrum
 vitæ humanæ.*

Interea in Galliis Facultas Theologica
 Parisiensis hoc anno die prima Mar-
 tii quoddam opus, cui titulus, *Theatrum
 vitæ humanæ* a Conrado Lycosthene
 compositum, & a Theodoro Zwingero
 absolutum, typisque editum censura
 notabat, simul tamen Licosthenem de-
 prædicans, eum felicis, & æternæ me-
 moriæ Virum appellat: postea autem
 fatetur, quod hoc opus jam pridem
 inchoatum, nunc vero Theodori Zwing-
 geri Philosophi, atque medici Basilien-
 sis,

*Argentre
 coll. jud.
 tom. 2.
 pag. 415.
 Pantaleon
 l. 3 Pro-
 sograph.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

sis opera, studio, & labore eo usque deductum fuerit, ut omnibus hominibus ad vitam præclare instituendam majorem in modum utile, & jucundum sit futurum, hinc illud cum gratia, & privilegio Cæsareæ Majestatis, & Christianissimi Galliarum Regis Basileæ anno millesimo quingentesimo sexagesimo quinto typis fuisse impressum testatur, mox tamen subjungit Facultas, quod quibusdam propositionibus diligenter lectis, repetitis, & intellectis, & per multos dies prius sedulo per selectos Viros ex more examinatis earum quasdam numero tredecim omnino censura dignas judicaverit.

Ex hisce propositionibus prima desumpta est ex hujus libri titulo: *de simulata Religione*, atque istius erat tenoris: „Joannes Pontifex Romanus hujus „nominis vigesimus tertius supplicationes, in quibus Caput Joannis Baptistæ circumferretur, fieri mandavit, „Romani vero fraudem timentes, ne „Papa Florentinis has reliquias vendere statuisset, omnino has supplicationes fieri prohibuerunt; his addidit, „nescio, an unum simulatæ Religionis „exemplum huic foli præferri possit, nisi „quis forte Bocacianas fabulas ad hoc „ipsum elevandum huc citet. „

U u 4

„Si

Sæcul. XVI.

A.C. 1571.

Facultatis Parisinæ censura: „si Auctor
 „simulatæ Religionis exemplum intendit
 „referre ad delationem capitis Beati
 „Joannis Baptistæ in supplicationibus,
 „non ad suspensionem Romanorum de
 „fraude Papæ sic revera esset simulata
 „Religio, porro propositio est blasphema
 „& impia. *Secunda Propositio ex eodem*
loco decerpta. Albertus quidam Ni-
 „noritanæ familiæ Alumnus narratur
 „dixisse cuidam matronæ, quam au-
 „dierat in confessione: jussu Archangeli
 „Michaelis huc ad te venio, qui te unam
 „præ ceteris Venetis diligit, noctem-
 „que unam condicit, qua ad te vifen-
 „dam venturus sit, meo tamen hoc ipso
 „vestitu, meoque hoc corpore. ,

Censura. „Ista narratio indigna re-
 „lacione perniciofa est, & valde scan-
 „dalofa, retrahens a Sacramento con-
 „fessionis toti Franciscanorum Familiæ
 „contumeliosa, *Tertia propositio ex ti-
 „tulo de Superfitione.* „Constantinus
 „Imperator clavos Crucifixi Christi sem-
 „per adoravit, unum galeæ cuneo infixit,
 „ex altero frenum equo suo confecit,
 „fretus horum adjumento omnia vitæ
 „se evasurum pericula, sed quid impium
 „magis, quam si ferro adferbas ea,
 „quæ Dei sunt altissimi? „

Facultatis Censura. „Hæc postrema
 „propositio est impia contra Christi ho-
 „norem.

„norem, qui in cruce, clavis, & aliis
 „passionis instrumentis pie adoratur, &
 „contra Religionem Catholicam, de ve-
 „neratione Sanctarum Reliquiarum, &
 „in Constantini pietatem contumelio-
 „sa. „

Sæcul. XVI.
 A.C. 1571.

*Quarta Propositio ex titulo, an au-
 thoritati potius, quam rationi humane de-
 ferendum.* „Ego sic existimo, utrinque
 „peccatum: illi, quod minus authori-
 „tati, quam rationi tribuerunt, quos
 „propterea Scholasticos Theologos vo-
 „carunt: hi peccarunt, quod auctori-
 „tati summæ summam rationem con-
 „trariam esse crediderunt. „

Censura. Hæc propositio falsa est,
 & in Scholasticos Theologos contume-
 liosa.

*Quinta Propositio de Sancto Cyrillo
 Alexandrino, Theophili Episcopi ex fra-
 tre nepote, ejusdem in Episcopatu succes-
 sore.* „Hic Sanctus ambitiosus tamen
 „fuit, ac primus pompa superba in in-
 „auguratione usus est, primus etiam ex
 „Episcopis civilem potestatem inuasit. „

Censura. Hæc propositio est falsa,
 & in doctum, modestum, pium, &
 sanctum Virum nimis injuriosa.

Sexta Propositio. „Aurelius Cartha-
 „ginensis Episcopus contra Pelagium,
 „& Cælestinum Pontifices, item contra

Uu 5 „Ro-

Sæcul. XVI. „Romanorum primatum acerrime pug-
A.C. 1571. „navit. „

Censura. Propositio hæc falsa est,
 & in Aurelium Episcopum contumelio-
 sa, & in Romanos Pontifices, & pri-
 matum Ecclesiæ schismatica.

Septima Propositio. „Alipius popu-
 „laris Sancti Augustini Pelagio relli-
 „tit, item & Romano Pontifici prima-
 „tum super Ecclesias Africanas affe-
 „ctanti. „

Censura. Hæc etiam Propositio in
 Sanctum Alipium est contumeliosa, &
 in Ecclesiam Romanam schismatica.

Octava Propositio. „Sanctus Leo
 „XLIII (*) Ecclesiæ Romanæ Episcopus,
 „primatum Romanæ Ecclesiæ ipse quo-
 „que affectavit, non tamen eo modo,
 „quo antecessores ejus. „

Censura. Hæc quoque propositio in
 Leonem Pontificem est contumeliosa.

Nona Propositio. „Sancto Hilario
 „Arelateni Episcopo infensus fuit Leo
 „Romanus Pontifex, eoquod primatum
 „Ecclesiæ Romanæ asiruere noluerit. „

Censura. Hæc propositio est ejus-
 dem Sancti Hilarii pietati injuriosa, &
 con-

(*) Talem Pontificem numero quadrage-
 simum tertium nec Ecclesia Romana, nec
 Orbis cognoscit.

contumeliosa, atque imponit falsitatem Sæcul. XVI.
 Sancto Leoni Papæ. A.C. 1571.

Decima Propositio. „Gregorius pri-
 „mus, qui Magnus appellatur, primus
 „se servum servorum Dei appellavit, &
 „Episcopi Oecumenici, sive Universalis
 „titulum, tanquam notam Antichristi
 „detestatus est, „

Censura. Hæc propositio in San-
 ctum Gregorium contumeliosa, falsa,
 scandalosa, schismatica, & piarum au-
 rium offensiva est.

Undecima Propositio. „Iconoclastæ
 „octavo post Christum sæculò cœperunt,
 „contra quos pauci quidam, maxime
 „vero Carolus Magnus Imperator pug-
 „navit, re simul, & scriptis, imo ipse-
 „met Carolus In hac ratione oppido re-
 „missum sese exhibuit. „

Censura. Hæc propositio est falsa, &
 in Carolum Magnum contumeliosa, fa-
 vet etiam errori eorum, qui sacrarum
 imaginum venerationem tollunt.

Duodecima Propositio. „Brigida La-
 „ginensis mulier, ex Scotis oriunda, &
 „ex adulterio nata, quam Dubtacus
 „gravidam ancillam mago vendidit, qui
 „in suis ædibus Matrem, & filiam Bri-
 „gidam aluit, & magicas artes docuit,
 „hæc multa miracula magicis artibus
 „usa fecit, hæc Balæus: alii vero veræ
 „pietati hæc miracula tribuunt. „

Cen-

Sæcul. XVI.

A. C. 1571.

Censura. Hæc tota narratio de Sancta Brigida, & in nativitate, mores, & Sanctitatem vitæ ejus contumeliosa, & magicis artibus tribuens ejus miracula, est blasphema, & qui hæc refert plus fidei adhibens Balæo Lutherano, quam piis historiographis, qualis manifeste se prodit.

Decima tertia Propositio. „Gregorius „Magnus Pontifex Romanus primo cœ- „libatum Sacerdotibus mandavit: ve- „rum postea cum comperisset plurima „stupra, & puerorum cædes committi; „in piscina enim quadam sexies millia in- „fantium capita invenerat, hinc melius „esse nubere asseruit, quam cædibus „causam præbere.”

Censura. Prima pars hujus propositionis est falsa, in Sanctum Gregorium, & Sacerdotum Ordinem contumeliosa, secunda pars de tanta cæde puerorum non est vero similis.

Censura totius libri. „Hic ergo li- „ber continens propositiones multas, „falsas, scandalosas, schismaticas, im- „pias, & blasphemias, est perniciosus, „& quam citissime suppressendus.”

§. C.

Congregatio Fratrum Sancti Joannis de Deo a Pio V. stabilita.

In-

Ineunte anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo secundo Pius V. Pontifex Maximus Fratrum de Misericordia Congregationem confirmabat, quam olim Joannes de Deo Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo quadragesimo pro curandis pauperibus infirmis erexerat. Hi primum cœnobium Granatæ obtinuerant, vulgo dicti Fratres de Hospitalitate, novumque hoc eorum Nosocomium exiguo tempore per singulare studium, ac charitatem plurimum Præsulum, qui ad illius incrementa liberaliter concurrebant, percelebre reddebatur: quamvis vero Sanctus horum Fratrum Fundator, cum novam hanc Congregationem erigeret, nil aliud intenderet, nisi ut ejus Fratres unice pauperum infirmorum curam haberent, nullamque aliam regulam præter proprium ipsius exemplum sequerentur, nihilominus Pius V. magis consultum fore judicabat, si hæc Congregatio ad Ordinem Regularem evecta Sancti Augustini regulam profiteretur: eapropter alias adhuc privatas adjecit Constitutiones, atque inter eas præcipue quartum votum de obsequio infirmis impendendo. Hujus novi Ordinis diploma hoc anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo secundo die prima Januarii fuit editum, iplisque Fratribus

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

Ciacon. t. 3.

p. 1004.

Bullar. t. 2.

Pii V. Con-

stit. 143.

Heliot hist.

d:s Ordres

Monast. t. 4.

c. 18.

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.
bus a Papa permissum, ut ex suis quosdam in quolibet Monasterio pro administrandis Sacramentis quosdam Sacri Pæbyteratus Ordine insignitos haberent: porro cum Joanni de Deo familiare fuisset dicere: *Benefacite mei Fratelli*: eapropter ab Italis hi religiosi vulgo appellantur, *Boni Fratelli*.

§. CI.

Postrema Pii V. oratio ante obitum suum.

Ciacon. p.
1005.

Pius V. cum semper intimo doloris sensu cernere cogeret, quod Navarræ Regina hæreticos palam protegeret, hinc suarum partium esse arbitratur, ut Catharinam Medicæam admoneret, quatenus hanc Reginam suo privaret regno: idcirco datis ad eam literis illam, ut operi manum admoveere vellet, enixe rogavit, ubi his monitis Pontifex addidit hæc: *vel ipsa hujus regni tibi vindicandi occasionem cape, vel patere, ut nos Apostolica auctoritate ejus aliquem e Valesia Domo Regem constituamus: alioquin nobis est in animo, ea utpote hæretica condemnata, & sceptri jure spoliata, Hispaniarum Regem ad eam Regni Navarræ partem, quam Joanna tenet, quamprimum fieri poterit, occupandam inducere.*

Hæc

Hæc monita, ac minæ exinde oriebantur, quia Sanctus hic Pontifex probe sibi persuasum habebat, quod de regnis in ejusmodi eventu disponendi jus sibi competeret.

Sæcul XVI.
A.C. 1572.

§. CII.

Cetera Sancti hujus Pontificis opera.

A dhuc firmiori fulcro, ac rationi summum hujus Pontificis studium erga pauperes innitebatur; liberali enim manu Episcoporum, qui suis sedibus inique deturbati erant, necessitatibus prospexit, aliis vero electionum diplomata gratis concessit: insuper frequens erat in lustrandis Romanis Nofocomiis, ubi sæpius etiam pauperum pedes lavare, illorum corpora ulceribus plena osculari, eos in suis miseriis solari, piisque suis hortationibus ad beatam mortem disponere cernebatur: præterea soli Xenodochio ad Sanctum Spiritum viginti aureorum millia, ac Clericis in Seminario degentibus sex, quinque autem millia sodalitati Beatæ Virginis Annuntiatæ elargiebatur, atque amplas pecunias reponebat pro dotandis pluribus puellis pauperibus: cum insuper ædificium, quod Paulus III. pro Neophytis construi jussit, nimis arctum esset, ipse illud tam nova fabrica,

Duchesne
hist. des P.
p. 430.

Sæcul.XVI. ca, quam pinquiori reditu auxit. De-
A.C.1572. nique Ecclesiam Sanctæ Mariæ Ægy-
 ptiacæ Armenis dono dedit, ut ibidem
 juxta ritum suum Divino officio vacare
 possent: anno autem Redemptionis no-
 stræ millesimo quingentesimo sexagesi-
 mo septimo edita Constitutione præce-
 pit, ut Festum Sancti Thomæ Aquina-
 tis Romæ, atque in universo Neapolis
 regno ex præcepto Ecclesiastico cele-
 braretur: eo autem tempore, quo Ro-
 mana urbs famis violentia premebatur,
 idem Pontifex ex Sicilia, & Francia
 erogatis plusquam centum aureorum
 millibus frumentum adduci curavit, ac
 pretio longe inferiori, ac ipsemet illud
 emisset, populo venum exposuit: ubi
 cum hac de re Romani ærarii Præ-
 fectus quereretur, Pontifex reposuit:
 „Principe, ac præprimis summo Pon-
 „tifice indignum foret facinus, si in qua-
 „vis occasione lucrum quæreret: „ in-
 super Viros virtutibus, ac scientia cla-
 ros adeo magni habebat, ut ad dignita-
 tes, ac præcipue ad Romanam purpu-
 ram, qua viginti, & unum Cardinales
 in trina creatione honorabat, nullos alios
 eveheret, nisi Viros, qui ingenii acie,
 atque eruditione ceteris præcellerent:
 denique cum civis Urbinatensis vitam
 Christi Domini a Landolpho descriptam,
 &

& a se Italice redditam Pio V. nuncu- Sæcul. XVI.
 paret, hic eidem perbenignis verbis gra- A.C. 1572.
 tes rependens ducentos aureos dono
 dedit, suoque Datario præcepit, ut ejus
 Filio beneficium proxime vacaturum
 conferret, si is aliunde ad illud possi-
 dendum requisitis præditus esset doti-
 bus.

§. CIII.

*Alexandrini Cardinalis molimina pro
 impediendo Navarræ Principis con-
 nubio.*

Summus Pontifex cum immoto Reli- Thu. l. c.
 gionis studio contra hæresin insur-
 geret, nuntiumque acciperet, quod Ca-
 rolus IX. Franciæ Rex Calvinistis pa-
 trocinaretur, simulque Navarræ Regina
 proxime hanc aulam accessura esset,
 hinc rursus Alexandrino Cardinali suo
 in Galliis Legato in mandatis dedit,
 ut apud Regem ageret, illumque eo indu-
 ceret, quatenus matrimonium inter Soro-
 rem suam, & Navarræ Principem præ-
 pediret: igitur Cardinalis Regem acce-
 dens de hoc connubio sermonem inges-
 sit, suavitque, ut potius Sororem suam
 Lusitaniæ Regi, quam Navarræ Prin-
 cipi in conjugem offerret: præterea
 eundem certiore redderat, quod Pius
 V. nunquam ejusmodi nuptiis assensu-
 Hist. Eccles. Tom. XLVIII. Xx rus,

Sæcul. XVI. rus, minus vero petitam legis veniam
A.C. 1572. concessurus esset.

Verum Rex responsi loco semper publicam quietem ab hoc connubio dependentem caussabatur, nec Cardinalis illum a concepto suo proposito dimovere poterat: quinimo referunt Historicorum nonnulli (*), Regem, cum urgeretur, tandem hæc respondisse, „utinam omnia tibi enuntiare possem, „Alexandrine, profecto tu, & Pontifex intelligeretis, nihil ad Religionis „res in Regno constituendas, & iuratos Dei, ac Gallix hostes perdendos „his nuptiis aptius esse: ceterum breve „fore spero, ut Pontifex consilium, & „pietatem meam, incensumque Religionis ardorem ex proposito mei eventu „laudaturus sit.„

His dictis, Rex manu Alexandrini Cardinalis compressa suum magni pretii anulum de digito detraxit, eique obtulit, his verbis eum affatus, „hanc tibi Arham, & pignus fidei datæ, meique nunquam a Sacra Sede „defecturi obsequii, consiliique contra „sectarios impios, prout recepi, prope diem exequendi.„ Alexandrinus excusaverat se ab annulo accipiendo, & Pon-

(*) Solus id refert Thuanus mihi fol. 1033.
 Hb. 49.

Pontifici, ac sibi sufficere fidem a Rege Christianissimo datam respondit, quæ majus, aut certius pignus petere, aut secum ad Pontificem Patrum suum perferre non posset.

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

§. CIV.

Pii V. Pontificis infirmitas.

Cum renum dolores, quibus summus Pontifex per plures annos afflictatus, Mense Martio tantopere ingravescerent, ut nullam in medicamentis spem repositam quæreret, reliquos vitæ suæ dies unice pietatis operibus sacre intentus erat, suosque cruciatus patientia vere christiana superans semper Deum sibi præsentem habuit, resumptisque viribus paulo antea septem Romanæ Urbis Basilicas potissima ex parte pedes incedens pie visitabat, postea autem ipso Dominicæ resurrectionis die ex ambone cunctis bene precabatur, & pro more suo sermonem ad populum habebat: tandem morbo indies aucto sese proximæ morti accingebat, ac tertio ante obitum suum die Sacris Ecclesiæ Sacramentis ab Alexandrino Cardinale Nepote suo receptis die prima Maji altera noctis hora animam suam Deo reddidit, pronuntiatis illis ex Paschali hymno verbis: *Quæsumus Auctor omnium &c.* Tum ætatis suæ annum agebat

*Thu. l. 51.
p. 788.
Spond. hoc
anno n. 5.
Catena in vi-
ta Pii V.
Gabut. vita
Pii V. l. 5.
c. 13.*

Sæcul. XVI. sexagesimum octavum unacum tribus
A.C. 1572. Mensibus, & quindecim diebus, postquam Christi Ecclesiam sex annis, tribus mensibus, & viginti quatuor diebus rexerat.

§. CV.

Pii V. Pontificis obitus.

Ciacon. p.
1006.

Quamvis hic Pontifex vitæ Sanctitate clarissimus esset, de ejus tamen obitu populus tripudiabat (*), eoquod minus gratam haberet morum asperitatem, ejusque severitatem, quam exercebat per ipsam Inquisitionem, quod ipsum

(*) Hujus gaudii testem allegat Continuator Ciaconium, qui tamen ait, hunc Papam *incredibili omnium mærore* esse defunctum; quid autem magis risu dignum, quam quod Continuator tam infælici mendacio hanc populi lætitiâ adscribat morum asperitati, & severitati, qua Sacræ Inquisitionis munus exercebat? cur autem Continuator non adnotavit, quisnam fuerit ille populus, sive Romanus, sive Gallicus, sive Germanus: attamen ipse probe noverat, quod omnes hi populi Papæ Sanctitatem, liberalitatem, ceterasque virtutes maximi habuerint: tandem Continuator in suæ calumniæ testem, & argumentum advocare cogebatur Selimum Turcarum Imperatorem: proh! pudor,

ipsum Tribunal summo studio protegebat: quinimo etiam Selimus Sultanus, qui Pium Papam velut maxime terribilem Ottomanici Imperii hostem habebat, ob ejus obitum Constantinopoli festiva publicæ lætitiæ signa per integros tres dies edi jussit: enimvero Pius V. Pontifex Turcarum potentiam deprimere statuerat, omnesque pecunias, quas ceteris sumptibus subtraxerat, ad bellici apparatus expensas destinabat: unde in scriniis ingens pecuniarum summa reperiebatur, quam nonnulli ad decies centena aureorum millia ascendisse referunt, præter alia quingenta millia, ex Pontificia ditione intra tres Menses exigenda, ac tredecim aureorum millia in suo cubili reposita, quæ ipse in pauperes erogare destina-
 verat: insuper Apostolici ærarii Præfectus adhucdum centies mille aureos ad communes necessitates paratos tenebat: exinde vero manifeste patet, quod nunquam suis propinquis locupletandis intentus fuerit. Porro Corpus ejus in Ecclesia Divi Petri quatuor dies expositum est, ut populorum (*) pietati sa-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1572.

Xx 3 tis-

(*) Forte intra quatrimum populus jam lætitiã in luctum, & pietatem convertit, oblitus illius severitatis, atque morum austeritatis, quam Pius exercebat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

tisfieret: evoluto autem hoc temporis spatio illud in Sacello Sancti Andreae fuit repositum, usque dum ejus ossa ad Boscum Liguriæ urbem in ejus patriam transferri possent, ut ibidem in Fratrum Dominicanorum, quorum institutum olim amplexus erat, Ecclesia sepelirentur. Ceterum defuncto huic Pontifici Muretus celebris Orator sermone funebri parentabat.

Huic Sancto Pontifici id unice crimini dari potuit, quod illorum, quibus officiorum curam, ac regiminis sollicitudinem committebat, aviditatem reprimere nesciverit; ejus enim socordia illum eo inducebat, ut de maximi etiam momenti negotiis curam suis Ministris relinqueret, quorum tamen probitatem nequaquam sibi perspectam habebat: unde propter eandem incuriam querelas ad se contra ejusmodi Viros forte delatas excipere negligebat (*).

§. CVI.

(*) Si id unice Pontifici fuit crimini datum, populus propter severitatem illum injuste odio habuit: qua autem ratione de ejusmodi socordia redargui potuit, si, ut Continuator paulo ante §. CII. ipsemet factus est, Pius ad publica officia, & purpuram non alios evexit Viros, nisi doctrina, & probitate insignes.

§. CVI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

Sacra Cardinalium comitia pro novi Pontificis electione.

Quamprimum de summi Pontificis obitu fama Parisios fuerat delata, mox Cardinales Lotharingius, & Pellevens Senonensis Archiepiscopus & Gallicis profecti ad novi Pontificis electionem contendebant: ast in itinere adhuc constituti jamjam Sedis Apostolicæ Successorem Pio V. fuisse subrogatum perceperant, nihilominus continuato itinere arcana Aulæ Francicæ consilia neo-electo Pontifici manifestare decreverunt. Ceterum Sacra Purpuratorum comitia unius diei spatio absolvebantur; Cardinales enim decima tertia Maji die conclave ingrediebantur, nam justis de more pro defuncto Pio V. persolutis, ex Sancti Petri Basilica ad Sacellum Divi Pauli processerunt, ibidemque quinquaginta duo ad separatas quisque cellulas suas secedebant, prius tamen pro more Sacrum solemne de Spiritu Sancto fuit celebratum.

*Ciacon. t. 4.
Spond. n. 7.
Folietal. 4.
Andr. Vitt.
addit. ad
Ciacon.*

§. CVII.

Cardinalis Granvellani oratio ad Farnesum Cardinalem.

Eodem tempore, quo Cardinalis Moroni fautores de eo in Papam eli-

Xx 4

gen-

Sæcul. XVI. gendo sua consilia conferebant, Gran-
 vellanus Cardinalis Neapoli veniens
 A.C. 1572. conclave ingrediebatur, ubi præprimis
 diu cum Farnesio Cardinale Sacræ Ro-
 manæ Ecclesiæ Pro-Cancellario, &
 cum Hispaniæ Oratore, ac demum cum
 Alexandrino Cardinale colloquebatur:
 quinta autem ad vesperam hora omnes
 illi, quibus in comitiis agendi jus non
 competit, inde egrediebantur, clausis-
 que foribus, altera die summo mane
 Granvellanus Farnesium visum ibat, ei-
 dem exponens, quod Rex Dominus
 suus Pontificem morum probitate, ac
 vitæ Sanctimonia insignem prompte eli-
 gi desideraret, atque eum, ut hæc ele-
 ctio magis expedita redderetur, omni-
 no rogaret, ut non amplius ad Pontifi-
 catum adspiraret, eoquod plures cele-
 briorum Italiae, & Germaniæ Principes,
 quorum studia Rex haud quaquam ne-
 gligere posset, sese eidem vehementer
 opponere decrevissent. Ad hæc Far-
 nesius duntaxat reposuit: „paratus sum
 „ad promptam concurrere electionem
 „talis Viri, quem pro Ecclesiæ augmen-
 „to Christiana Respublica exoptare po-
 „terit: „ reposuit Granvellanus: „æ-
 „quum omnino est, ut te inconsulto,
 „Sacrum Collegium, cujus tu præci-
 „puum membrum es, nihil aggredia-
 „tur, proin duos, vel tres Cardinales,
 „quos

„quos digniores censueris, nominare
 „poteris, nec ego meis deero partibus,
 „ut ex his unus eligatur. „

Sæcul. XVI.
 A. C. 1572.

§. CVIII.

*Tres Cardinales a Farnesio nomi-
 nati.*

Itaque Farnesius ex Cardinalibus Mont-
 politianum, Boncompagnum, & Cor-
 regium nominat: quo facto Granvel-
 lanus a Farnesio secedens Alexandri-
 num Cardinalem convenit, eidem signi-
 ficans, quod tunc, nisi ad promptam
 Pontificis, qui Regi Domino suo gra-
 tus esset, electionem concurreret,
 suo tempore ipsum pœnitentia subitura
 foret: postea Granvellanus tres illos
 Cardinales a Farnesio nominatos expo-
 suit, eundem hortatus, ut ex his unum
 designaret: præterea addidit hæc verba:
 „id si feceris, Dei favorem, & Regis
 „Hispaniæ amicitiam tibi conciliabis. „
 Ad hæc Alexandrinus Cardinalis, qui
 adhuc ætate juvenis, atque in nullo
 conclavi præsens de comitiorum rebus
 nullam habebat experientiam, quid re-
 sponsi daret, ignarus in suam cellam
 sese recepit, ubi convocatis suis amicis
 ea, quæ Granvellanus proposuit, pau-
 cis verbis significavit, jungens, quod
 prius de Placentino Cardinale, qui
 Borromæo percarus esset, cogitasset, il-

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

lius tamen electio ejus amicis minus grata fuisset, eo quod hic Cardinalis recens ad purpuram evehctus esset, unde consultius foret, quempiam ex Cardinalibus a Pio IV. renuntiatis eligere (*).

§. CIX.

Actum de eligendo Cardinale Hugone Boncompagno.

Alexandrinus Cardinalis Boncompagnum nominans postea quosdam Purpuratos a Pio IV. creatos, quos ad eligendum Boncompagnum jam antea sollicitaverat, accessit, eisque exposuit, quod cunctos amicos suos in hujus Car-

(*) Benevole Lector, observes velim, quod de cunctis hisce nec Spondanus, nec Ciaconius, neque Foglieta, nec Victorellus, nec alii verbulo quidem mentionem faciunt, ipse vero Continuator pro more suo, quoties quoddam conclave describit, nullum omnino Authorem tanquam testem allegat, ut plenam confingendi libertatem nactus Sacra comitia depingere valeat tanquam officinas, in quibus variæ artes, fraudes, & dolosa cudentur consilia, ut horum ope summorum Pontificum electiones fuisset factas, Lectoribus suis exhibere valeat. j

Cardinalis favorem inclinasset. (*) Pa- Sæcul. XVI.
 riter Farnesius, qui Boncompagno pro- A. C. 1572.
 ximam ad Papatum spem arridere ex
 colloquiis cum Granvellano habitis in-
 tellexerat, totam rem Urbinatensi Car-
 dinali manifestavit, atque eundem ro-
 gavit, ut Boncompagni amicis signifi-
 caret, illum certius in Papam fore e-
 ligendum, si & ipsi Alexandrinum
 Cardi-

(*) Si Alexandrinus Cardinalis jam antea
 tot Cardinales in favorem Boncompagni solli-
 citaverat, quid opus fuit Granvellano, ut juve-
 nem hunc Cardinalem, ac de conclavium arti-
 bus inexpertum comminatione regiæ indigna-
 tionis ad Boncompagni nominationem induce-
 ret: ecce! quam male confarcinata est Conti-
 nuatoris fabula: percipiamus autem ex Victo-
 rello, cunctisque ceteris Scriptoribus eidem
 conspirantibus, quid denique Farnesius ad hujus
 electionem contulerit: *Cum Cardinales, inquit
 ipse, Althempsius, Sfortia, Ursinus, Cæsius,
 Et Comensis agnovissent, Cardinalem Farnesium,
 ob ætatem vegetam adhuc, supremum
 Ecclesiæ clavum non sperare, de Cardinale S.
 Sixti, in quem Cardinalis quoque Alexandri-
 nus propendebat, agere cæperunt; eum Comen-
 sis in cella monuit, suffragia necessaria non de-
 esse, deducendus in sacellum dixit, Eamus in
 nomine Domini: deductum omnes venerati sunt.*

Sæc. XVI. Cardinalem ad sua studia pertrahere
 A.C. 1571. niterentur.

§. CX.

*Boncompagnus unanimi omnium suf-
 fragio electus, ac Grego-
 rius XIII. nominatus.*

Thuan. l. c. Itaque Cardinalis Vercellensis ad Bon-
Spond. n. 7. compagni cellam accedens, ejusque
Ciacon. p. 2. dexteram complectens illum rogabat,
Et 4. t. 4. ut ad Sacellum deduci pateretur, ibi-
 dem a cunctis Cardinalibus publicam
 venerationem accepturus: interrogabat
 vero Boncompagnus, an ad hanc ele-
 ctionem sufficientia concurrerent suf-
 fragia? respondit Vercellensis, quod
 tunc, nisi de eorum numero certus
 esset, hoc agredi non auderet: Bon-
 compagnus ergo quædam scripta, quæ
 maximi habebat, secum assumens cum
 Vercellensi ad Sacellum progressus est,
 eo autem deductus mox miro omnium
 consensu electus est, applaudente, ac
 in summam lætitiâ effusa tota Ro-
 mana Aula. Ceterum Boncompagnus
 jamjam ad Pontificatum, cum a Pio IV.
 Cardinalis crearetur, destinatus erat,
 ac forte de eo eligendo jam in comitiis,
 in quibus Pius V. fuerat nominatus,
 serio agitatum fuisset, nisi tum Hispa-
 niæ Legationem obiisset: igitur electus
 est die decima tertia Maji intra quin-
 que

que, vel sex horas, assumpsitque no- Sæcul. XVI.
 men Gregorii XIII. coronatus in die A.C. 1572.
 Pentecostes vigesima quinta ejusdem
 Mensis.

Porro novus hic Pontifex Mense
 Januario Anno Christi millesimo quin-
 gentesimo secundo Bononiæ ex Chri-
 stophoro Boncompagno, & Angelo Ma-
 rescalca cujusdam publici ejusdem
 Urbis Notarii filia natus erat, qui hu-
 manioribus institutus literis legum stu-
 dio sub celeberrimis Italiae Professori-
 bus operam navabat, cum tam præ-
 claro progressu, ut nonnisi viginti octo
 annos natus Doctoratus laurea insigni-
 retur, & postea Bononiæ Professoris
 publici munus cum ingenti nominis sui
 fama obiret: anno autem reparatæ Sa-
 lutis millesimo quingentesimo trigesimo
 nono Romam petens, ibidem Capitolii
 Judex, Scriptor Apostolicus, majoris
 Curiae Abbreviator renuntiabatur, & in-
 super causis forensibus, & gratiæ libellis
 referendis præficiabatur: demum a
 Paulo III. ad Concilium Tridentinum
 missus, Cameræ Apostolicæ Auditoris
 Vicarius anno Christi millesimo quin-
 gentesimo quadragesimo nono paulo an-
 te hujus Pontificis obitum nominatus
 est: demum a Julio tertio Secretarius
 Apostolicus, atque anno Salutis nostræ
 millesimo quingentesimo quinquagesimo
 quarto

Sæcul. XVI.
A.C. 1572

quarto Romanæ ditionis Pro-Legatus, & sequenti anno signandis gratiæ diplomatibus præficiebatur, ubi etiam ab eodem summo Pontifice tanquam Jurisconsultus ad Concilium Tridentinum ablegatus fuit: inde vero rediit a Paulo IV. Episcopus Vestanus, ac mox a Pio IV. rursus ad eandem Synodum missus ab eodem Pontifice purpura decoratus est, ac postea in Hispaniam pro Caranzæ Archiepiscopi Toletani causa legabatur, atque inde feliciter peracta legatione rediens sub Pio V. literis Apostolicis præficiebatur.

§. CXI.

Variae Legationes a Papa destinatae pro continuando fœdere.

Ciacon. p. 4.
Spond. n. 8. Papa peracta electione sua quantocius Nicolaum Ormanettum in Hispaniam ablegabat, eo fine, ut Philippum II. ad profequendam armorum societatem invitaret: in Gallias vero decreverat Antonium Mariam Salviatum, qui ad idem fœdus cum ceteris ineundum Regem Christianissimum permoveret: ceteros quoque Nuntios eodem ex fine ad Cæsarem, ac quosdam Septentrionis Principes mittebat, & Cardinalem Commendonum in sua Polonica Legatione confirmabat, ut ibidem negotia tibi a Pio V. demandata ad exitum deduceret.

INDEX